IHS

NAZIONALE
8
16 — B
37/H
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53.6.30.
53
B
24

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA ANTILOGICA LVTHERANORVM,
ET
ANTILOGIA THEOLOGICA CALVINISTARVM;
SEV

Contradictiones de rebus Fidei,

quas Lutherani & Caluiniſtæ in ſuis Propoſitionibus, concordes, diſcordes, admittunt:

Deprehenſa à P. GEORGIO TYSKIEVICIO, Societatis JESV, S. Theologiæ Doctore. & ab eodem aliquot ſupra triginta Quæſtionibus comprehenſa.

IN QVIBVS

Proditur dolus, fraus aperitur, conuincitur falſitas, (Lutheranæ nimirum & Caluinianæ Sectæ.)

Bernard: Ser: 64. in Cantic.

IN GRATIAM

Scholæ tàm Lutheranæ quàm Caluinianæ.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S.R.M. Typogr. Anno 1624.

Digitized by Google

Quiſquis à ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, vt falſa loquatur. *Aug: tr: 27. in Iouin.* Alienati ab vtero, locuti ſunt falſa.

Illa eſt enim vera, & ſine contradictione probatio, quæ etiam ab aduerſarijs ipſis ſingula teſtificationis profert. *Iren: lib: 4. c. 14.*

Firmum eſt genus probationis, quod etiam ab aduerſarijs ſumitur, vt veritas ab ipſis veritatis inimicis probetur. *Nouat: libro de Trinit. c. 18.*

Sufficit ad hæreſin refutandam, planeq; proterendam, detexiſſe eam, & in omnium lucem eius deformitatem expoſuiſſe. *Hier: ad Chteſiph.*

Fugere oportet ipſorum ſententiam, & intentiùs obſeruare ne coniungamur illis. *Tertul: lib: de Præſcript.*

Inſolentiſſima inſania eſt, contra id diſputare, quod tota per orbem frequentat Eccleſia. *Aug: epiſt: 118.*

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI.

HAEreticis nihil intereſſe, diuerſa licet tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem cõſpirent, dixit olim antiquus iuxta ac doctus ſcriptor Tertullianus. Ac verè; nam ſicut olim Scorili Dacarum Ducis Moloſsi, poſt acrem pugnam, poſitis odiis, oblatum communem inimicum, vnanimiter feruidè ſunt proſecuti: ſic hi poſt infinita, linguâ ſepiaué, data & accepta vulnera, diſcordi quadam concordia in fidei Romanæ & Apoſtolicæ religionis exitium, odio & liuore arma ſubminiſtrante, conſurgunt; vt proinde ingeniosè ac rectè S. Auguſtinus Pſalmum 80. explanans, ſcripſerit eos eſſe vulpes Samſonicas, quæ nempe capitibus diſiunctæ, & diſſectæ ſententijs, in caudis impietatis, & perfidiæ funibus colligatis, ignem Tartareum circumferunt, quo florentiſsima Eccleſiæ ſata, omni ſpe meſsis lautioris decollata, ſuccendant. Quod quàm ſtudiosè, quantoq́ conatu ab illis agatur, in hac, anguſtâ licet, caueâ, Beneuole LECTOR *ſpectabis, in quâ nunc decretorijs in ſe telis incurrentes ſectarios, nunc iunctis ſubitò dextris, in Eccleſiæ Catholicæ perniciem collectos exhibere voluimus, eo præſertim conſilio, toti vt orbi pateat, quàm capitali odio nefarij hi gladiatores inter ſe, & ipſi ſecum, diſsideant, & quàm coniunctis viribus Thraces in ſe priùs ſæuientes, in auitæ religionis interitum, apertâ occaſione vel minimâ, conſpirent. Deinde vt manifeſtum fiat, quàm impiè ac ſceleratè Miniſtri Tritones, homines ſine fide, re, pudore, conſcientia, prurienti & credulo popello, imponant, dum neſcio quam in Fidei eſſentiali-*

 bus fi-

bus fictitiam verè concordiam, ſed aptam ad pertrahendas in naſſam perfidiæ animas, illecebram comminiſcuntur, & ſuis propinant, quam toties caſſo labore fabricare conati, deceptâ forcipe cum claudo Deo dum ἠρίνην voluerunt, non ſemel cudere, ἔριν fabricârunt. Quocirca vt mearum fuit partium, portentoſam ſectariorum in fide Antilogiam in Solem & puluerem extrahere, & oſtendere, quibus hi Gigantes gradibus in illâ linguarum & ſententiarum confuſione, impoſitis ſibi errorum ac mendaciorum ſcopulis, impij in Deum, iniurij in Superos, cælum inſcendere & reſcindere conentur: ſic tuum erit, hanc meam qualemcunq; operam, vt ad Fidei Orthodoxæ oſtendendam veritatem, ſic ad hæreticorum iugulandam perfidiam, ſuſceptam, æqui boniq; conſulere, & hoc quod ab obſequenti filio Mater Eccleſia, ſuo iure quaſi expreßit, beneuolentiæ vlnis, ſerenâ fronte, amplecti: cùm pietatem cum Magno Leone exiſtimauerim, impiorum prodere latebras, & ipſum in eis, cui ſeruiunt, diabolum debellare. Vale, & ſi forte pes tibi incautus delirauit à lineâ, vel me Mercurio aurem vellicante, eum reducito; & tibi Deoq; vt æternum viuas, viue, quod opto, voueo.

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS,
Soc: IESV Præpoſitus Generalis.

CVm Theologiam Antilogicam Lutheranorum, & Antilogiam Theologicam Caluiniſtarum, P. GEORGII TYSKIEVICII Societatis noſtræ; aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 4. Februarij, 1623.

Mutius Vitelleſcus.

Locus ſigilli.

Digitized by Google

EGo SEBASTIANVS NVCERINVS, *S.Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Cracouien̄ Concionator Ordinarius, Librorumq; in Diœceſi Cracouien̄ Cenſor, viſo A.R.P.* MVTII VITELLESCI, *Societatis* IESV *Generalis Præpoſiti teſtimonio, quod Liber ab A.R.P.* GEORGIO TYSKIEVICIO *Societatis* IESV, *S.Theologiæ Doctore, & in Regno Poloniæ Prouinciali, conſcriptus, cui titulus eſt:* Theologia Antilogica Lutheranorum, & Antilogia Theologica Caluiniſtarum, *à Theologis eiuſdem Societatis ſit recognitus; & non ſolùm fidei ac bonis moribus non repugnans, ſed etiam vtilitati Eccleſiæ Catholicæ plurimum commodus eſt inuentus: vt imprimatur, poteſtatem facio. Crac: 2. Ianuarij, 1624.*

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Confeſſiones Euangelicæ, Auguſtana, & Proteſtantium (ſeu quod idem eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum) conueniant in omnibus fundamentalibus ſeu eſſentialibus fidei; aut quod idem eſt, in omnibus articulis fidei neceſſarijs ad ſalutem, & vitam æternam?

NOmine Lutheranorum intelliguntur ij, qui omnia quæ Lutheraniſmus tanquam eſſentialia fidei tradit, profitetur. Nomine verò Caluiniſtarum, qui ijs quæ Caluiniſmus docet, adhærent.

Quæſtionem inſcripſi ipſiſmet verbis, quibus hæ duæ Sectæ vti ſolent; habent enim propria ſua in rebus ſpectantibus ad fidem, vt vel hinc Nouatores agnoſcas. In ea verò decidendâ, conſultò abſtinebo à teſtimonijs & argumentis noſtrorum Catholicorum; Lutheranorum duntaxat & Caluiniſtarum contentus probationibus. His poſitis, ſit

PROPOSITIO I.

VTraq; hæc Confeſsio, ex propriâ ſententiâ, conuenit in omnibus eſſentialibus Fidei.

Hoc ex-

Digitized by Google

Hoc expreſsè affirmat Sereniſſimus Iacobus Rex Angliæ in Apologiâ, in qua aſſerit *Lutheranos & Caluiniſtas, in quibuſdam tantùm apicibus diſſentire*. Et Iacobus Smidelinus Caluiniſta in libro de Cœna Domini: Batauus quidam Caluiniſta in Quæſtionibus Batauicis; Baudæus Caluiniſta in Trochaic: lib: ad Bezam: Iacobus Zaborovvski, Miniſter verbi Dei, vt ipſe ſeipſum, ſi placet Superis, indigitat, Caluinianus fide, natione Polonus, in lib: contra Martinum Smiglecki. Anonymus quidam in Poloniâ, hæreticus, in Concordiâ Lutheranorum cum Euangelicis, in rebus fidei. Alius item Anonymus Caluiniſta, Torunenſium aſſentator, in Patrocinio veritatis. Tertius Anonymus Caluiniſta, qui ante biennium glorioſus Thraſo, Torunij Monita Euangelicorum typis euulgauit, Monito 9. Nicolaus Symmachus fictus, verus autem Caluiniſta, aut Prædicãs, aut Secretarius Torunenſis, in Reſponſione ad Monita Crucij: quæ Reſponſio, quia nihil præter hederam ſpecioſam appenſam habuit, authorem flagro virgis & meritis loris cooperuit, quibus ipſi corium D. Ambroſius Iaſcius I. V. Doctor, Anno 1619. egregiè conſcidit. Ioannes Paræus Caluiniſta, qui poſtquam Lutheranos cum teterrimis hæreticis comparâſſet, innumerabilium abſurdiſſimorum Paradoxorum accuſâſſet, tandem perſuadere conatur, in vno tantùm non toto, non fundamentali articulo, litem eſſe; quod quàm falſum ſit, ſecundum ipſius mentem in 2a propoſitione videbimus. Ioannes Turnouius Prædicans Torunenſis, in Reſponſione contra editam ſub nomine illius Declarationem Conſtitutionum Elbingæ factarum. Sibrandus Lubertus Doctor Theologiæ Heidelberg: Caluiniſta, in Epiſtolâ Dedicatoriâ contra Fauſtum Socinum. Iuelus Caluiniſta in Apologiâ pro Eccleſiâ Anglicanâ, Anno 1600. pag: 101. vbi expreſsè hæc habet. *Proteſtantes ac Lutherani probi ſunt viri, inter ſe amici ac fratres, inter quos in principijs ac fundamentis fidei, nulla eſt diſcrepantia.* Danæus Caluiniſta, in ſuis ſcriptis contra Card: Bellarminum, in quibus vocat Lutherùm *ſanctiſſimum hominem*. Verum igitur dixit Lutherus, cùm, vt videbimus in ſecundâ Propoſitione, aſſeruit

ſe in ar-

ſe in articulo de Cœnâ Domini, nõ cõuenire cũ Caluiniſtis, ac proinde falſum aſſerũt Caluiniſtæ, cùm docent conuenire. Similiter verũ erit, quicquid probrorum, de quibus infra, cõgeſſit Lutherus in Caluiniſtas; quia ſi vir ſanctus non mentitur, multominùs *Sanctiſſimus* mentietur. Beza in Iconibus in Reſponſione ad Repetit: Sanct: & in libr: de pœnis Hæreticorũ; ait, *Lutherum fuiſſe toto ore diuinitùs inſpiratum eximium Dei organum, ſeruum Dei, & quidem valdè excellentem, virum admirandum in diebus noſtris.* Ioannes Bergius, vt patebit ex ſeq: Propoſitione. Sutliuius etiam Caluiniſta; nam Lutherum inter ſuos numerat: igitur & Confeſſionem fidei Lutheri, ac proinde Lutheranam, ſeu Auguſtanam, Caluinianæ ſuæ annumerat. Vitakierus Caluiniſta ad 8. rationem Edmundi Campiani, vbi ſic habet: *Lutherum libenter vt patrem veneramur, & Lutheranos vt fratres in Chriſto chariſſimos amplectimur.* Huc ſpectant & ſcholares ludi Neuhuſiani, ſeu potiùs Pædagogi illorum, in ſuâ Chronologiâ Iubilei Euangelici, edita anno 1618. Heldelbergæ; ita enim loquuntur de vtraq; hac Sectâ, ac ſi vnius eſſent fidei, ac proinde cõuenirent in eſſentialibus. Deniq; miſſis alijs Caluinus in libr: de Libero arbitrio, contra Albertum Pighium; & in 1. aduerſus Veſtphalum, hæc inter alia de Luthero dicit: *Non diſſimulanter teſtamur, nos habere Lutherum, pro inſigni Chriſti Apoſtolo, cuius maximè operâ & miniſterio, reſtituta fuit hoc tempore Euangelij puritas, ſanctum & magnum eſſe Prophetam Dei, per cuius os Deus fulminauit.* Agnoſcit ergo Lutheri fidem, (ac proinde & Lutheranorum) eſſe veram ac puram, ac deniq; cum ſuâ conuenire.

PROPOSITIO II.

VTraq; hæc Confeſsio, ex propriâ ſententiâ non conuenit in omnibus eſſentialibus fidei.

Ita tenuerunt, & quidem conſtanter, vt potè, per 90. annos continuos, teſte Paræo Caluiniſta, de quo infrà.

Probatur primò auctoritate. Prodeunt primi Nurbergen-

ſes Lutherani in ſuâ conſideratione. Lutherani enim,vt priores tempore præponi-debent. Sequitur Amſdorphus in ſuâ Confeſſione,in quâ etiam fraudem Iacobi Smidelini Caluiniſtæ, ſupra citati, aſſerentis conuenire, grauiter & acerbè inſectatur. Deinde Ioachimus Veſtphalus, Miniſter Hamburgenſis. Crakieuicius ſuperintendens Pomeraniæ, in Theſibus, in quibus vocat Caluiniſtas *Vulpes*, eò quòd ſubdolè aſſerant, ſe à Lutheranis in adiaphoris tantùm diſſidere. Philippus Nicolai, in compendioſâ inſtructione, de Caluiniſtica Religione; & in Refutatione eiuſdem: vbi Caluiniſticam fidem vocat, *Spiritum Sectarum, abominationem deſolationis, quæ ſtat in loco ſancto-credentem Deum non verum, ſed abominatiſſimum diabolum, ſeu cacodæmonem: hic enim ipſe eſt Deus Caluiniſtarum.* Denique in libro: *Detectio fundamentorum Sectæ Caluiniſticæ, conuenientium cum Arrianis & Neſtorianis.* Albertus Grauerus Doctor in Saxoniâ, in libro: *Abſurda, abſurdorum, abſurdiſſima, abſurda Caluiniſtica.* Ioannes Affelmanius in libro: *Caluiniſequarum portenta, abſurda, abſurdiſſima.* & in libr: *Locuſtæ Caluiniſticæ.* Eraſmus Alberus ſecunda parte, contra maledictam doctrinam Carolſtadij Caluiniſtæ. Ægidius Hunnius in libro: *Caluinus iudaizans;* in quo etiam vocat Caluinum, *Angelum tenebrarum.* Henricus Eckardus in Præfatione, ad faſciculum, Illuſtriſſimo Electori Saxoniæ Chriſtiano, oblatum; in quâ poſt multa de calliditate Caluiniſtarum, & quòd titulum Eccleſiæ circumferant; dicit illos *Lutheranorum conſenſum mentiri, & Confeſſionis Auguſtanæ ſocietatem ſimulare: cùm tamen non ſit tanta diſtantia inter cælum & imam terram, quãta inter Auguſtanam Confeſſionẽ, & Caluiniſtarum Sectam.* & in Epiſtola, ad Electorem Ioannem Georgium, ſic habet: *Si Caluiniſtæ vnà cum pane & vino, verè, ſubſtantialiter, & præſenter, ibi Corpus & Sanguinem Chriſti ſumi, etiam ab indignis, expreſſè non affirmabunt, & errorem ſuum valere non iubebunt, nullam nobiſcum concordiam in fide habebunt.* In fine verò addit: *Nugantur Caluiniſtæ, cùm dicunt, diſſidere à nobis, ſed in rebus leuioribus, non in fundamentis Religionis. Ex articulis enim Cardinalibus, ne vnum quidem nobis* (Nota) *Theologia Caluiniſtica, inuiolatum reliquit.*
Andreas

Digitized by Google

Andreas Iacobus Smidelinus, ſed non clypeatus, Lutheranus, contra Grinæum Caluiniſtam; & Ioannes Schutz libro 50. Cauſarum, cap: 48. qui aſſerunt *Caluiniſmum, Arianiſmum, & Machometiſmum, fratres eſſe & ſorores, tres caligas eiuſdem panni. Camerinam, in quam multæ hæreſes confluxerunt: denique vltimam Sathanæ iram.* Miniſtri Geſenſes & Tubingenſes, qui doctrinam Caluiniſticam vocant, *ſacrilegam, execrandam, & diabolicam.* Ioannes Wolfius, qui in Centenario ſuo 16. Caluiniſtas vocat *Chromaſtiges.* Iacobus Renecius, lib: de ortu, curſu, & exitu Caluiniſtarum, in quo vocat Caluiniſtas, *verſipelles, mundi vulpes.* Iacobus Andreæ contra Halderbergen: qui ſic ait de Caluiniſtis: *Tigurini tui perpetui ſunt Eccleſiæ perturbatores, Caluiniani leuiſſimi, homines Epicurei, Sathanæ tradendi.* & in breui admonitione; vbi ait, Caluiniſtas conari improbè Ieſuitas in ſuam ſocietatem rapere, & eorum authoritate doctrinam Lutheri de Cœna Domini opprimere. Nicolaus Selneckerius in Pſal: 131. vbi dicit: *Inter Caluiniſtas, & nos Lutheranos, diſcordia intercedit de participatione & præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœnâ, de eius Aſcenſione.* Hermannus Hamelmannus, in reſponſione ad dicta Patrum, adducta à Caluiniſtis. Iacobus Scheckius in reſponſo ad libellum Simonis Simarij Caluiniſtæ, in quo ille probabat, in Chriſto non eſſe duas naturas, & vnam perſonam. Omnes Theologi Witemberg: Anno 1570. interrogati enim à Principe: an cum Caluiniſtis ſentirent; reſponderunt: *In æternum ſe Diuino conſpectui renunciare, ſi vel in minimo cum Sacramentarijs*, id eſt Caluiniſtis, *conuenirent.* Georgius Fabricius ad Hieronymum Velterum, Auguſtanum Conſulem. Ioannes Modeſtus in Demonſtrationibus, in quibus oſtēdit Caluiniſtas *non eſſe Chriſtianos, ſed Iudæos baptizatos.* Petrus Conrenus Miniſter Bernen: in Epiſtola ad Lutheri conuictorem. Conradus Schluſſelburgius in libris tribus Theologiæ Caluiniſticæ, in quibus ceu in tabellâ quadam, quaſi ad oculum, plus quàm ducentos viginti duos Caluiniſtarum errores, ex publicis illorum pagellis, verbis proprijs, & authorum nominibus adſcriptis obſeruauit, ibidem demonſtrans, eos de nullo ferè fidei Chriſtianæ articulo,

rectè ſentire: & lib: 2. art: 1. vocat fidem Caluiniſtarum, *Hæreſim Sacramentariam, & Sathanicam blaſphemiam:* vbi etiam affirmat, à Caluiniſtis, vice verſa, vocari fidem & doctrinam Lutheri, *doctrinam Schiſmaticam & Sectariam*; *Lutheranos verò omnes diaboli incantatione excæcatos.* Idem Schluſſelburg: lib: 3. Bezam *incarnatum diabolum appellat.* Hectron Buſcherus in Exercitationibus Theologicis, contra Ioannem Piſcatorem Caluiniſtam, docet, verba Cœnæ Domini propriè non tropicè intelligenda eſſe; vbi agitur etiam de Baptiſmo contra eoſdem Caluiniſtas. Matthæus Faber Rochenitzen: Paſtor, in mendacijs centum Caluiniſtarum, quæ committunt circa S. Scripturam, & Confeſſionem Auguſtanam ex libro illorum, *Apologia Concordiæ* inſcripto. Daniel Cramerus cum Conrado, ad Chriſtophorum Pelargum in Epiſtola, quæ inter alia ſic habet: *Aut Caluiniſmus eſt vera doctrina, aut Lutherana non erit, aut tu medium quid facies: quicquid dixeris, Apoſtata eris.* Idem Daniel in diſtinctione Decalogi, contra Caluiniſtas. Henricus Berades Viſmarienſis in doctrinâ, quam oppoſuit fictitiæ Caluiniſtarum Communicationi. G. Milius, aduerſus errores Caluiniſtarum. Seuerinus Sluchlerus in Antitheſi Philantropiæ diuinæ, & Miſantropiæ Caluinianæ. A. Berchauius in Anatomiâ Caluinianâ. P. Maltzliaſtus in Confeſſione contra Sacramentarios. P. Vincklemannus in erroribus Caluiniſmi. Fridericus Petri in Caluinianorum Neſtorianiſmo, de Perſonâ Chriſti. Gaſparus Finckius in diſputationibus, de Analogiâ Sacramentali Zuinglianâ. Chriſtianus Bonifacius in Reſponſione breui ad tractatũ Caluiniſtarum, de fractione panis. Hieronymus Toxita, & Vilhelmus Valburgius in libro, *Errores Caluiniſtarum deteſtandi.* D. Hoe in lib: *Probatio de horrendis Caluinianorum blaſphemijs.* Georgius Kilius in Refutatione, cõtra obiecta Caluiniſtica. Ioannes Verberus in Iudicio Lutheri deciſiuo, de doctrina Caluiniſtica. Balthaſar Meiſnerus in Cantione, de doctrinâ Caluiniſticâ. Iuſtus Stenglerus, in Confutatione doctrinæ Caluiniſticæ. Ioannes Giſeorius, in enumeratione methodicâ errorũ Caluiniſtarum. Balthaſar Meiſnerus in Apologetico, de vitandâ

Digitized by Google

tandâ doctrinâ Caluiniſticâ. Simon Gedicius in Apologiâ, de reali & ſpirituali ſumptione veri Corporis & Sanguinis Chriſti, in S. Cœnâ. Philippus Molan in Epiſtolâ ad Gorolicium Bruſuicen: in quâ ſic de Zuinglianâ, ac proinde de Caluiniana, quæ eadem eſt cum illâ, ſcribit: *Anteſignani huius Sectæ nullam habent doctrinam Chriſtianam, pueriliter philoſophantur.* Sigiſmundus Euenius in ſuo Samaritaniſmo, contra Ioannem Bergium, qui conſenſum Eccleſiæ Lutheranæ & Caluinianæ in fundamento fidei, quoad doctrinam Sacramẽtorum extorquere auſus eſt. Et aliorum Lutheranorum, qui partim ex Indicibus Francofortenſibus; partim ex Iubilo Iubilorum Iubilei Euangelici, Adami Conzten: colligi poſſunt.

Iam Caluiniſtas videamus, qui pro eadem ſententiâ ſtrenuè depugnant. Agmen ducit Carolſtadius, qui fidem Lutheranam ait eſſe *ſimilem Magicæ fidei, ariolorum, & dæmonum,* ac proinde non conuenire cum ſuâ. Beza ſequitur ponè, qui Lutheranorum dogma, quod etiam & ipſius Lutheri erat, de præſentiâ Corporis Chriſti, vocat, *Sathanæ excrementum.* Cœnam verò eorundem; *canum, in quâ vorant furfuraceum numen*; quare meritò ipſos propterea eſſe *Antichriſti nepotes; Carnifices Chriſti; Chriſticidas, carniuoros, &c.* Sed mendacem ſui oportebat eſſe memorem: quomodo enim Lutherus *vir eſt toto ore diuinitùs inſpiratus,* (quod lingua illa inflammata à gehenna, & veneno turgens mortifero, effuderat, vt vidimus paulò ante) ſi dogma de præſentiâ reali Chriſti in Euchariſtiâ, putens eſt *Sathanæ excrementum?* Pudeat iſtos Vertumnos, aut Protheos, ſuæ inconſtantiæ. Videndus quoq; Bucerus, & Ioannes Paræus, apud quem luculentum Caluinianæ ſtabilitatis habes exemplum, in Reſponſione ad Motiuum 18. & in Methodo controuerſiæ Vbiquiſtariæ: deniq; in Epiſtolâ Dedicatoriâ ad Controuerſiam Euchariſticam, vbi in hunc modum ſcribit: *Lutherani hoſtes veritatis, Orthodoxos vocant Caluiniſtas, non Chriſtianos, Atheos, Turcis deteriores, imò & diabolo,* (vt potè, qui meliorem habeat fidem de Chriſto, quàm illi) eorum etiam Deum eſſe, *ipſum diabolum.* Idem aſſerit, queri Lutheranos, ſe à Caluinia-

 nis gra-

nis grauiter læſos, & variarum hæreſum inſimulatos: appellatoſq; *Marcioniſtas, Manichæos, Neſtorianos, Eutychianos, Capharnaitas, Creophagos, Flaccianos.* Addit & illud: *Lutheranos nullas cum illis pacis conditiones velle recipere, niſi ſaluâ ſuâ vbiquitate.* Iam verò quid ipſe ſentiat de cõcordia inter Lutheranos & Caluiniſtas, in articulo fidei, & quidem eſſentiali, eius verbis accipe: *Nonageſimus annus labitur*, ait, *infelicis illius diſſidij de S. Euchariſtiâ, quod Eccleſias Euangelicas fatigat, debilitat, & lacerat: Papæ verò regnum ſtabilit, & ſuſtinet.* Cur ergo os impudens dixeras, eſſe inter vos litem non in aliquo eſſentiali fidei, vt in primâ Propoſitione vidimus? tali enim diſſidio, per te Eccleſia Chriſti non diſcinditur, multò minus ſtabilitur, aut ſuſtinetur Eccleſia Pontificia. Deniq; idem vocat Lutheranos, *veterum errorum hæreſumq́; reductores.* Benedictus Talmanus, qui Lutheranorum opinionem, de corporali præſentia Chriſti, & *orali*, vt ait, *manducatione*, eiuſdem refellit. Simlerus in Appendice, quâ abſterguntur calumniæ Iacobi Andreæ Bernenſis Caluiniſtæ, in Apologiâ, in quâ reſpondent, ad ſibi intentatas hæreſes à Lutheranis. Ioannes Iezlerus in lib: de Diuturnitate belli Euchariſtici. Miniſtri omnes Ducatus Anchaltini Caluiniſtæ, in libro: *Demonſtratio, contra Lutheranorum Vbiquiſtarum ſomnia.* Caluiniſtæ item plures, in libro contra Vitembergenſes edito, 1614. in quo etiam aſſerunt, Lutheranos docere ſe diſſentire in fundamentis à Caluiniſtis. Abraham Schultetus in Concione ſuâ, in quâ Lutheranorum fidem, de manducatione oris Corporis Chriſti, vocat *portentoſam opinionem*, & aſſerit fide duntaxat illud percipi. I. Lampadius in parte prima, de Concilijs contra Vbiquitarios. R. Gotlinius in Theſibus Apologicis, contra Finckium. Iobus Fridericus in Confutatione, contra Gedeonem Agricolam Lutheranum: in quâ docet Lutheranos, rixantes & clamantes, cauſam nullam habere Caluiniſtas, (iniuria ita dictos) hæreſeos damnandi. Ioannes Vorſtius, Publicus Lugduni Batauorum Profeſſor: cuius libros Sereniſſimus IACOBVS Rex Angliæ, decreto ſuo non ſolùm damnauit, tanquàm hæreticos, & impios, ſed & flammis publicè in

foro

Digitized by Google

foro Londinenſi exuri iuſſit. Viden' vt Proteſtantes Proteſtantibus alas vellicent, & Andabatarum more, ipſi inuicem cœcis ſeſe conficiant ictibus? Accedit his Danæus Caluiniſta, qui in Epiſtola ad Gallicanas Eccleſias data, conqueritur Lutheranos, Caluiniſtarum Martyres contumelioſiſſimè vocare ſolitos, *Diaboli Martyres:* priuatim verò adulandi ſtudio, *pios, ſanctos, & Chriſti Martyres* appellare. Certè, ſi Lutherani putaſſent Caluiniſtas habere veram fidem Chriſti, pro quâ tamen aliqui illorum mortui erant, non aſſeruiſſent eos eſſe *diaboli Martyres.*

Deniq; ipſimet Patriarchæ harum Sectarum, Lutheranæ ſcilicet & Caluinianæ, docent hanc Propoſitionem. Martinus Lutherus, multis in locis. Nam Tom: 2. Vitemberg: eò quòd acceperat Caluiniſtas aſſerere, ſe conuenire in rebus fidei cum Lutheranis: hæc ei verba rei indignitas expreſſit: *Maledicta pax & concordia cum Sacramentarijs; per omnia ſæcula ſæculorum.* Addant iam Caluiniſtæ, *Amen.* quamuis eos hoc fulmen petat, quia *Sanctiſſimus vir* eſt qui loquitur, vti teſtatur Danæus Caluiniſta; imò *toto ore diuinitùs inſpiratus*, vti affirmat Beza; & denique *inſignis Apoſtolus Chriſti*, vti vult Caluinus, locis citatis in 1. Propoſ. In Colloquijs etiam Menſalibus, de eadem re ſic ait: *Non alia poteſt ſperari concordia, inter nos & Caluiniſtas, quàm quæ inter Chriſtum & Iudam interceſſit.* In Theſibus etiam contra articulos Louanienſes, Theſi 27. contra 31. articulum eorundem; & in Confeſſione poſtremâ, de Cœna Domini, aſſerit: *Hæreticos à ſe cenſeri omnes Sacramentarios, qui negant* (tales autem ſunt omnes Caluiniſtæ, cùm hæc ipſa ſit fides illorum) *verè Corpus & Sanguinem Chriſti, ore carnali ſumi in Cœnâ Euchariſticâ.* Ibidem vocat Caluiniſtas, ob cauſam commemoratam, *Sacramentorum hoſtes, æternumq; damnatos:* nominatim verò idcircò appellat, Muntzerum, Carolſtadium, Campanū, & alios Caluiniſtas, *meros incorporatos dæmones.* Idem Bohemorum Confeſſionem, quâ profitentur, ſe non credere Carnem & Sanguinem Chriſti in Cœnâ verè adeſſe, vocat *Hæreſim:* & ipſos Bohemos, à ſe *Hæreticos* haberi. Igitur & vos Caluiniſtas Hæreticos di-

cos di-

Digitized by Google

cos diceret, qui eundem perfidiæ funem trahitis. Præterea docens ex Caluinianâ fide, & Lutheranâ, & ex vtriuſq; Sectæ aſſeclis, vnam fidem Chriſti & Eccleſiam conſtitui non poſſe: ſic ait in Epiſtolâ ad Argentoratenſes: *Summa eſt, alterutros oportet eſſe Sathanæ Miniſtros, vel ipſos, vel nos.* Deniq; in Epiſtolâ ad Principem Boruſſiæ: Sacramentarios, id eſt Caluiniſtas, pro fide ſua ſupplicio mulctatos negat eſſe Martyres, eò quòd iuſta in ipſis cauſa Martyrij, id eſt, vera fides defuerit.

Ioannes etiam Caluinus, alterius Sectæ Princeps, pluribus in locis affirmat hanc Propoſitionem; in ſecunda admonitione, aduerſus Ioachimum Veſtphalum, fatetur Lutheranos adeò crudeles gerere inimicitias, & inueteratum ac dirum fouere odium contra Caluiniſtas, vt citiùs in rebus fidei (de illis enim expreſsè loquitur) cum Turcis & Papiſtis, quàm cum Caluiniſtis, pacem & concordiam ſint habituri. In admonitione tertiâ, Lutheranos vocat homines *vertiginoſos, ſuperbos, beſtias, deſperatè impudẽtes, falſarios, ignorantes*; quod in Catechiſmo tractatur. Ecce quali ariete nouator hîc in Lutheranorũ Eccleſiã incurrit? Et ne exiſtimes animi irâ ac inuidiâ concitati hæc eſſe tonitrua, plenè vltimâ admonitione, contra eundẽ Veſtphalum ſententiam ſuam, quid ipſe de Lutheri, & Lutheranorum fide ſentiat, aperit: denunciat enim Veſtphalo, niſi ſibi obtemperet, circa articulum de Cœna Domini, & aliter credat, quàm Lutherus & Lutherani, eo loco poſthac habendum eſſe, quo pertinaces Hæreticos habebat Paulus. Nota hîc, Caluinum exiſtimaſſe, inter ſe & Lutherum, certamen & diſcordiam eſſe de re ipſa, hoc eſt, de Cœna Domini, & vera participatione Chriſti in eâ: non verò de modo tantùm edendi, vti *ſplendidè* (vt vtar verbis Eckardi Lutherani) *nugantur Caluiniſtæ.* Non enim eſt vllo modo probabile, propter modum tantùm, maximè ſi is non ſpectet ad eſſentialia fidei, Apoſtolum hunc Geneuenſem Veſtphalum, ni Lutheri damnaret opinionem, (exemplum ſequi volens Doctoris gentium) pertinacem Hæreticum habendum deinceps aſſeueraſſe. Et licet vel hinc ſolùm ſatis apparere poſſit, quo loco apud Caluinum Lutherus fuerit,

Digitized by Google

fuerit; pleniùs tamen, quo in hæreſiarcham animo ſit in Epiſtola 72. ad Bucerum, teſtatur, dum ipſi vocâti Lutherum *Idololatram*, eò quòd agnoſceret, in Cœna Domini eſſe verè verum Corpus Chriſti in pane, & ibidẽ debita Deo veneratione proſequendum, aſſentitur. Ita enim Lutherus docebat, etiam tunc, cùm eum Caluinus vocabat, *inſignem Apoſtolum Chriſti*; vt vidimus ſupra: nec hanc eius doctrinam, typis etiam deſcriptam, Caluinus ignorabat. Claudit hoc agmen funeſtum Sereniſſimus IACOBVS Rex Angliæ, qui immemor eorum, quæ dixerat in Apologia ſup: citata, in ſuo Baſilico Doro, *Puritanos*, id eſt, puros Caluiniſtás, de quibus eſt hæc quæſtio, vocat *Hæreticos*, *& puros*, *ac putos Phariſæos*. Hæretici enim in eſſentialibus fidei cum Catholicis, quales ſunt Lutherani ex ſententia Regis, non conueniunt.

Probatur ſecundò propoſitio euidenti argumento, ſumpto ex libris Lutheranorum & Caluiniſtarum. Illæ Confeſſiones, quæ qua tales ſunt, ſcientibus illis, qui eas habent, & deliberatè volentibus, diſſident ſaltem in vno aliquo eſſentiali fidei, ſeu neceſſario articulo ad ſalutem & vitam æternam non conueniunt in omnibus eſſentialibus fidei, ſeu in omnibus articulis neceſſarijs ad ſalutem, & vitam æternam. Sed Confeſſiones Euangelicæ, Auguſtana, & Proteſtantium, ſeu quòd idem eſt, Lutheranorum & Caluiniſtarum, quâ tales ſũt, ſcientibus illis, qui eas habent, & deliberatè volentibus, (imò ſemper & per integros 90. annos) diſſident ſaltem in vno aliquo eſſentiali fidei, ſeu neceſſario articulo ad ſalutem & vitam æternam. Igitur Confeſſiones Euangelicæ, Lutheranorum & Caluiniſtarum, non conueniunt in omnibus eſſentialibus fidei, ſeu in omnibus articulis neceſſarijs ad ſalutem, & vitam æternam. Maior Propoſitio manifeſta eſt, & ſole clarior. Semper enim Vniuerſalis Propoſitio deſtruitur per veram particulam negatiuam: vt ſi aliquis ignis abſolutè non eſſet calidus, falſum eſſet abſolutè, omnem ignem eſſe calidum. Minor verò Propoſitio probatur: Articulus de Cœna Domini, ſeu Euchariſtica, quid in ea verè dederit Chriſtus fidelibus, & quid

C ipſi eti-

ipſi etiam verè ſumant, eſt vnus ex eſſentialibus fidei, ſeu neceſſarijs ad ſalutem, & vitam æternam. Sed in hoc articulo Confeſſiones Lutheranorum & Caluiniſtarum,qua tales ſunt, ſcientibus & volentibus illis, qui eas habent (imò ſemper, & per integros 90. annos) diſſident. Igitur Confeſſiones Lutheranorum & Caluiniſtarum,qua tales ſunt, ſcientibus & volentibus illis, qui eas habent (imò ſemper) diſſident in vno aliquo eſſentiali fidei, ſeu in articulo neceſſario ad ſalutem, & vitam æternam. Maior Propoſitio extra omnem controuerſiã eſt apud omnes Lutheranos & Caluiniſtas, imò apud omnes Chriſtianos:cùm expreſsè Sacra Scriptura præcipiat omnibus, vt ſumant Cœnam Euchariſticam, & ſumentibus promittat vitam æternam; non ſumentes verò hac ipſa carituros affirmet. Quæ omnia indicant fidem huius Articuli, & quòd in Cœna ipſa Chriſtus realiter ſumatur,eſſe neceſſariam omnibus credentibus ad vitam æternam. Ex talibus enim tantùm rationibus ſeu teſtimonijs S. Scripturæ,colligunt Lutherani & Caluiniſtæ, quædã alia, eſſe articulos eſſentiales fidei Chriſtianæ. Minor etiam eſt certiſſima,teſtimonio ferè omnium Lutheranorum & Caluiniſtarum, cùm feriò loquuntur, nec more ſuo fingunt, aut fallunt. de qua re in 3. Propoſitione. Lutherana enim Confeſſio, quatenus Lutherana, expreſſè continet, tanquam articulum eſſentialem fidei, eumq; Lutherani omnes firmiter aſſerunt, ac profitentur: dari fidelibus, & ab ijſdem manducari in Cœna Domini, idq; ore corporali, verum Chriſti Corpus, quod ibi verè eſt, & realiter ac localiter præſens in pane: & verè bibi verum Sanguinem eiuſdem, qui ibi eodem modo præſens eſt in vino: ac proinde contrarium ſentientes vocant, vt vidimus, *Sectarios & Hæreticos.* Caluiniſtica autem Confeſſio, qua talis, disertè contrarium proponit, videlicet in Cœna Domini, à fidelibus ore corporali non manducari verum Corpus Chriſti, nec bibi verum Sanguinem eiuſdem, ſed tantùm ſigna harum rerum, ſeu Symbola; neq; eſſe ibi verè ac realiter præſentia pani & vino, ipſum verum Corpus, & Sanguinem Chriſti: ac proinde Lutheranos hoc aſſerentes Caluiniſtæ

Digitized by Google

uiniſtæ vocant, vt vidimus, *Hæreticos, Carniuoros, Chriſticidas, Idololatras*, *&c.* Conſequentia igitur concedenda eſt, ac proinde vt potè veriſſima, ſecunda Propoſitio admittenda.

Probatur 3. Propoſitio ad hominem. Quia nos Pontificij credimus, & ita credendum docemus, in Sacramento Euchariſtiæ, eſſe verè ac realiter præſens, verum ac reale Corpus, & Sanguiuem Chriſti, verèq; vtrumq; hoc ore non tantùm fidei, ſed & corporali accipi à nobis; idcircò Caluiniſtæ omnes affirmant, & palam clamant, ſe non conuenire nobiſcum, imò diſſentire, in Myſterio Euchariſtico, & non in modo tantùm, ſed & in re ipſa, ac in eſſentiali fidei. Atqui Lutherani, etiam hoc ipſum, quod & nos, aſſerunt & credunt. Igitur Caluiniſtæ debent volentes nolentes affirmare, & palam proclamare, ſe nō conuenire cum Lutheranis in Myſterio Euchariſtico, ac proinde in re fidei eſſentiali. Idem argumentum ſecundum, & tertium, poteſt fieri de alijs articulis fidei eſſentialibus, in quibus Caluiniſtæ non conueniunt cum Lutheranis, videlicet de Baptiſmo, cæremonijs ac imaginibus: de libris S. Scripturæ, de Confeſſione, de Omnipotentia Dei, de Miſericordia, de Iuſtitia, de Vnione perſonali Chriſti, &c. quæ fuſè oſtendit Albertus Grauerus Lutheranus, libro citato.

Probatur 4. Congregatio hominum, quæ non credit verum Deum, non ſolùm non conuenit in aliquo eſſentiali fidei, & quidem præcipuo, cum illa congregatione quæ id credit, quod nobis ſatis eſſet, ſed etiam in nullo. Fides enim Chriſtiana omnia ea, quæ credit, ob infallibilem Dei reuelantis authoritatem, credit neceſſariò: impoſſibile autem eſt credere aliquid propter authoritatem infallibilem Dei reuelantis, quin ſimul inuoluatur, fides veri Dei exiſtentis, vt per ſe patet. Qui ergo verum Deum non credit, nihil in fide credit Chriſtiana. Atqui ex ſententia Congregationis Lutheranæ vidimus, congregationem Caluiniſtarum, non credere verum Deum. Talem enim credit, qui eſt verus author peccati, quem eſſe implicat, & ſcriptura aſſerit, verum Deum eſſe non poſſe. Igitur ex ſententia Congregationis Lutheranæ, Congregatio Caluiniana non

Digitized by Google

na non conuenit cum illa, non ſolùm in aliquo eſſentiali fidei, quod nobis ſatis eſſet, ſed etiam in omnibus eſſentialibus.

Simili Argumento probatur Propoſitio, contra Lutheranos. Congregatio hominum Idololatrica non conuenit in eſſentialibus fidei, cum illa Congregatione quæ non eſt Idololatrica. *Quis enim*, teſte Apoſtolo, 2. Cor: 6. *conſenſus templi Dei cum Idolis? Vos autem eſtis templum Dei viui.* Idololatriam autem interiorem, à qua Idololatrica congregatio dicitur, non eſſe ſine errore contra eſſentialem articulum fidei, nemo pernegabit. Atqui ex ſententia Congregationis Caluinianæ, vt vidimus, Lutheranorum Congregatio eſt Idololatrica. Igitur ex ſententia Congregationis Caluinianæ, Lutherana Congregatio non conuenit cum illa in eſſentialibu fidei. Reſpondeant Aduerſarij ſi poſſunt.

Probatur 5. Caluiniſtæ ipſi inter ſe diſiecti in duas partes, diſſident in eſſentialibus articulis fidei, vt videbimus Quæſtione 14. Ergo diſſident etiam à Lutheranis, quandoquidem magis cum his non conueniunt in eſſentialibns fidei, quàm ipſi inter ſe.

Quid reſtat? niſi vt his argumentorum Gordijs nodis implicati Aduerſarij, vt olim Simia, lautam Catholicis præbeant ſegetem cachinnorum.

PROPOSITIO III.

CAluiniſtæ illi, qui aſſerunt conuenire Confeſſionem ſuam, cum Confeſſione Lutheranorum in omnibus eſſentialibus fidei, ſeu in omnibus articulis neceſſarijs ad ſalutem, & vitam æternam, fingunt, & ſtant à mendacio contra veritatem: (re vera enim aliter intelligunt) vel vt ſeruiant tempori, & ſic ſibi & ſuæ Sectæ prouideant; vt fecit Zuinglius, qui libro, *de verâ & falſâ Religione*, hoc de ſe fatetur: & Caluinus

uinus; ſubſcripſerat enim Argentinæ publicè externa voce ibi profitendo, ſibi cum Luthero, de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia cõuenire: en vt hic vulpinatur cum vulpe, licet longè alia interim ipſi eſſet mens. vel vt Lutheranis adulentur, vt ait Danæus Lutheranus in Epiſtola ad Eccleſias Gallicas, & hoc pacto eos vt ſimplices, (ſic enim eos voçant; vt videre eſt apud Grauerum libro citato) decipiant, eiſque imponant, & ad ſe pertrahant; vt fecit Theod: Beza in Confeſſione facta, ſeu Edita in gratiam Heluetiorum. Lege Monitum primum Crucij, & primum noſtrum caput, Vindiciarum doctrinæ Societatis IESV. Et idem dico de Lutheranis, (qui tamen pauciores ſunt, & non puri) aſſerentibus, Confeſſionem ſuam conuenire cum Caluiniſtarum Confeſſione, in omnibus eſſentialibus fidei, &c.

Probatur Propoſitio. Quia expreſſè & diſtinctè ſciunt illi Caluiniſtæ, vt vidimus, Confeſſionem ſuam diſſidere à Confeſſione Lutheranorum, in articulo de Cœna Domini, quem articulum eſſe eſſentialem fidei, ſeu neceſſarium ad ſalutem, & vitam æternam, agnoſcunt, & vltro fatentur. Igitur fingunt, & veritatem impugnant, cùm aſſerunt Confeſſionem ſuam conuenire in omnibus eſſentialibus, cum Confeſſione Lutherana. Et hoc expreſſè obijciunt Caluiniſtis Lutherani, vt patet ex dictis, & ex alijs libris Lutheranorum. Idem argumentum fieri poteſt contra Lutheranos aſſerentes, &c.

PROPOSITIO IV.

COnſultò nolunt Caluiniſtæ, ne ſeipſos prodant, definire ac ſtatuere, quænam ſint vniuerſè eſſentialia fidei Chriſtianæ, quæ omnibus ſufficiunt ad ſalutem, vt tantò liberiùs & ſecurius poſſint affirmare, Lutheranos in talibus cum ipſis conuenire, non verò Pontificios.

Probatur. Quia expreſſè & clarè vrgentur Caluiniſtæ, & quidem ſæpè à noſtris Catholicis, qui non multò ante, libros ſuos typis euulgarunt, vt tandem aliquando hæc eſſentialia manifeſtent. Sed hunc ſcopulum, exitiali Sectæ funeſtum, ſtudioſè miniſtri perduelles deuitant: & deuitauit nuper ſubdolè Nicolaus Symmachus, in Reſponſione putidâ ad Crucij Monita, qui hæc eſſentialia fidei validè Caluiniſtis exprimere conabatur; ſed hucuſq; caſſò labore. Ioannes quoq; Turnouius loco citato, & Anonymus, qui Monita Euangelicorum Torunij edidit; qui quia impar congreſſus hic Achilli, qua data porta ruunt.

Dices Primo. Expreſſè docet Caluinus, & Caluiniſtæ omnes, in Cœna Domini, dari & percipi à nobis, vnà cum Symbolis, verum ac reale Corpus Chriſti, & eo nutriri animas noſtras: Similiter & verum Sanguinem eiuſdem, & eſſe hoc vtrumq; verè realiter in Cœna Domini, ac proinde verbis tantùm diſſident à Lutheranis in hoc articulo.

Reſpondeo. Dicunt quidem ita, aliquando aliqui Caluiniſtæ, (nam quòd non ſemper, nec omnes, imò ſæpius & expreſſè contrarium aſſerant, patet ex dictis) verè tamen non ita ſentiunt, ſed ludunt, & palpum lectoribus obijciunt, vt vidimus in tertia Propoſitione, idq; ſimulatione quadam pietatis, vel concordiæ, cum Lutheranis; aut deniq; ne Auditores à ſe, ac à ſua doctrina abalienent. An non hoc eſt Simiam barbatam agere? Quibus optimè quadrat hîc illud Irenæi: *Quandoq;*, inquit, *Hæretici ſimilia loquuntur Orthodoxis, ſed diſſimilia ſentiunt, errores ſuos nequaquam apertè oſtendunt, ne denudati, facilè cognoſcantur, ſed quibuſdam cooperimentis ſubdolè adornant.* Veriſſimè enim, ita faciunt Caluiniſtæ, nam turpitudinē ſententiæ ſuæ, de Myſterio Euchariſtico, ne nudè conſpiciatur, adeo ſubdolè verborum integumentis adornare ſolent, vt de hoc Myſterio, interdum cum Orthodoxis idem ſentire videantur; à quorum tamen ſententia, tantùm opinio ipſorum differt, quantùm exitialis hæreſis à veriſſima & ſaluberrima fide. Quod verò ita ſit, patet ex dictis ſupra. Apertè enim Caluinus, & Sectatores illius ma-

us maximè, qui ex cathedris docent, excludunt Chriſtum, & verum Corpus eius ab Euchariſtiæ Sacramento, & tàm procul ab eo diſtare volunt, quàm procul cœlum ſummum diſtat à terra. Ita expreſſè Caluinus in Defenſione prima doctrinæ de Sacrament: contra Veſtphalum; & in conſenſu cum Paſtoribus Tygurinis, de re Sacramentaria. Sic enim ait circa finem: *Tollenda eſt quælibet localis præſentiæ imaginatio. Nam cùm ſigna hîc in mundo ſint* (Nota) *ſcilicet panis & vinum, oculis cernantur, palpentur manibus: Chriſtus quatenus homo eſt, non alibi* (Nota) *quàm in cælo quærendus eſt. Igitur non in Euchariſtiâ.* & rurſus de eadem re: *Quia Chriſti Corpus finitum eſt, & cælo vt loco continetur, neceſſè eſt à nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto cælum abeſt à terra. Non eſt igitur verè ac realiter præſens in Euchariſtiâ.* Similiter habet Beza in Summa doctrinæ, de re Sacramentaria. Aſſerit præterea expreſſè idem Caluin: non manducari à nobis ore corporis, verum Chriſti Corpus, ſed tantùm fidei, quod non eſſet verũ, ſi ibi verè ac realiter præſens eſſet. ita lib: 4. Inſtitutionum, cap: 17. parte 5. *Interim*, inquit, *hanc non aliam eſſe, quàm fidei manducationem fatemur, vt nulla* (Nota) *alia fingi poſſit.* Et cap: 30. vel 31. *Æquè potimur Chriſti præſentiâ per fidem, etiamſi ad nos non deſcendat, vt volunt Papiſtæ*; (ſed idem quoq; volunt & Lutherani: cur igitur eos impoſtor præterijſti? ſcilicet vt ſimplicibus Lutheranis imponeres) *& non eſt neceſſè Chriſtum elicere in terras,* (Nota) *vt nobis ſit coniunctus, nimirum per fidem; qua etiam in cælo conſiſtenti coniungimur.* Idem dicit Beza, & Pleſſeus Gallus Caluiniſta, qui libro 5. de Euchariſtia, cap: 1. diſertè ſcribit: *Chriſtum non aliter manducari & bibi in Euchariſtia, quàm in Baptiſmo, aut in verbo Dei, ſeu Euangelio; quia non aliter manducatur & bibitur, quàm fide.* Quis verò vnquam ſanæ mentis dixit: Chriſtum verè manducari à Baptizato in Baptiſmo, & verè eſſe præſens Chriſti Corpus in Baptiſmo? &c.

Dices Secundo. Etiam Papiſtæ, Monachi ſcilicet, vel inter ſe, vt Thomiſtæ cum Scotiſtis, vel cum Ochamiſtis, vel cum Ieſuitis, diſſentiunt ſæpè in rebus fidei; & tamen omnes iſti cẽſentur eſſe vnius religionis. Igitur ſimiliter & Euangelici, Lutherani

therani videlicet & Caluiniſtæ, quamuis non conueniant in rebus fidei, verè dici poterunt eſſe vnius fidei.

Reſpondeo. Primo negando Antecedens, ſi intelligatur de rebus eſſentialibus fidei, de quo eſt quæſtio, & in qualibus oſtenſum eſt, Euangelicos iſtos diſſidere. (Proferatur enim vel vnus articulus eſſentialis fidei noſtræ Catholicæ, vel vt iſti loquuntur, Romanocatholicæ; in quo inter ſe diſſentiant Monachi & Ieſuitæ?) Quo modo ſi intelligunt Aduerſarij Antecedens, vt intelligere debent, ſi ad propoſitum loqui volunt, retorquendo contra nos, & contra primam noſtram Propoſitionem, nimis manifeſtè hæreſim, oculis ipſorum nubem obduxiſſe oſtendunt, ne veritatis Solem in orbe, vt ita dicam, Catholico relucentem conſpiciant; aut fallendi & fingendi effreni libidine, in quælibet mendaciorum ſe genera propelli teſtantur. tunc verò vel craſſam ignorantiam ſuam, vel cauteriatam conſcientiam produnt.

Reſpondeo 2. Negando idem Antecedens, etiamſi non intelligatur de eſſentialibus fidei, & de ijs, quæ non ſunt neceſſaria omnibus ad vitam æternam: ſed de ijs duntaxat, quæ tamen vel planè nota ſunt, quia manifeſtis Sacrarum literarum verbis aſſeruntur; vel licet eo modo non ſint nota, definita tamen ſunt & ſancita ab Eccleſia. Habet enim Eccleſia authoritatem infallibilem, non quidem nouam fidem condendi, ſed obſcura explicandi, & dubia enodandi, ſeu proponendi verũ ſenſum Scripturarum. de quo hîc non diſputo. Sunt enim quædam res fidei, quæ latent in Sacra Scriptura; poſt eruendæ, & oculis ſubijciendæ. Dum autem eruuntur ac exponuntur, authoritatem ſuam apud nos accipiunt, non eam qua ante in ſe carebant, cùm nullo vnquam tempore eâ caruerint, ſed eam quâ carebant, quo ad nos: & id, quod declaratur à Summis Pontificibus, vel à Concilio ex S. Scriptura, erat ante in ſe res fidei, ſed quia nos latebat, poſtmodo fit etiam res fidei quoad nos, quia quoad nos decernitur ac ſtatuitur, ſeu in apertum producitur; primum habet à Deo, alterum ab Eccleſia. Facitis hoc ipſum & vos Hæretici, dum Conſtitutiones veſtras conſcribitis, qui-

Digitized by Google

tis, quibus dubia fidei declaratis. v. g. Candelas non eſſe neceſſarias ad vſum Cœnæ Domini, licet eas Chriſtus Dominus adhibuerit. Mane ſumendam Cœnam, licet eam Chriſtus noctu inſtituerit, & dederit: non præmittendam illi cœnam communem, nec lauandos pedes eorum qui ſunt Cœnam hanc accepturi, quamuis Chriſtus hæc fecerit. Deniq; hæc vel alia adiaphora eſſe, illa verò non, quæ tamen non ſunt planè nota ex S. Scriptura. Iam ergo neq; in talibus, quæ ſcilicet definiuntur ab Eccleſia Catholica, ſunt inter illos cœtus Religioſos, aut alios Doctores Catholicos certamina, cum ſcientia definitionis Catholicæ, & pertinacia: ſubijciunt enim hi omnes iudicium ſuum Eccleſiæ ſententiæ. In multis autem talibus, diſſentiunt eo modo inter ſe Lutherani & Caluiniſtæ, & quælibet harum Sectarum, imò quilibet ſuam perfidiam, vt ſimia fœtum complectitur, & putidis ſibi plaudens commentis, alijs à ſe diſſidentibus hæreſeos notam inurit. Addo, etiamſi Papiſtæ diſſiderent inter ſe in huiuſmodi rebus fidei non eſſentialibus; tamen iuxta doctrinam Caluini, 4. Inſtit: lib: 1. Sect: 12. vnam fidem adhuc haberent. *Dantur,* inquit ille, *aliqua capita doctrinæ in Eccleſiâ, quæ vnitatem fidei non dirimunt; & tale eſt; vtrum piorum animæ poſt mortem in cœlum euolent, an alio in loco viuant? Propter eiuſmodi diſſenſiones Eccleſia nunquam eſt deſerenda, quando doctrinæ capita, quæ omnibus ſcitu neceſſaria ſunt, manent ſalua & inuiolata.* Vrgere debebas Caluine Lutherum, cur Eccleſiam Pontificiã deſeruerit Anno 1517. quandoquidem tunc ab illa in ſolâ doctrina de Indulgentijs diſſenſerit. Eſt tamen hæc doctrina Caluini contra S. Scripturam, vt ex q. 10. patebit. Noluit hic Hæreſiarcha credere, animas piorum poſt mortem in cœlum euolare: quia hoc illi extare in S. Scriptura non videbatur. verius autem propterea vt contrarium Romanæ Eccleſiæ, cuius hoſtis erat & poteſtatem ſenſerat, teneret. Credebat nihilominus eſſe in alio loco animas huiuſmodi, licet minus multò hoc aliud in S. Scriptura reperiri videret.

Reſpondeo 3. Si Antecedens intelligatur de rebus fidei, quæ non ſunt neceſſariæ ad vitam æternam, nec exſtant apertè in S.

tè in S. Scriptura, nec vt dogmata fidei ab Eccleſia ſunt definita,(poſſunt tamen definiri,ſi eſſet neceſſarium: vt ſcilicet contrarium nemo poſt definitionem poſſit aſſerere & docere) eſt diſſenſio in talibus inter Doctores Catholicos, tamen non talis, qualis inter Aduerſarios. Nunquam enim Thomiſtæ Scotiſtas, vel contra, tàm procaciter, petulanter, mordaciter, ac rabioſè fodicant; quàm Lutherani Caluiniſtas, & hi viciſſim illos, vt clarum eſt ex libris illorum. Neq; ex illa ſequitur illos propriè non conuenire in rebus fidei. cùm enim talia tãquam in medio ſint, ac proinde, non propriè actu, & proximè res fidei, quippe quæ nec credere teneamur, & aſſerere vel negare prudenter poſſumus, liberum erit Doctoribus Catholicis, diuerſa de illis opinari ſine culpa,& ſalutis diſpendio; & quando de facto diuerſa opinabuntur, non idcircò non conuenire in rebus fidei, meritò dici poterunt. Multò verò magis ſine culpa,liberum eſt ipſis,& litigare, & diſſentire in rebus merè Theologicis aut Philoſophicis, & alijs quæ nullo modo res fidei dici poſſunt: diſſenſus enim in talibus, nec Religionem attingit, nec immutat. & ex diſſenſione Catholicorum Doctorum in eiuſmodi rebus, ſæpè Hæretici moderni accipiunt occaſionem, (ſicut fecerunt nuper etiam Scholares Neuhuſiani lib: cit: in 1. Propoſ.) excuſandi ſuam diſſenſionem in fide, & exprobrandi Eccleſiæ Catholicæ,in illa ſcilicet extare plurimos, qui non conueniunt in rebus fidei,nec tamen ipſos ab Eccleſia damnari, vel ex negligentia, vel ex iniuſtitia, ſed ſolos Proteſtantes; quod iudicium aut ex mera ignorantia, aut fraude, aut calumnia plebeia proficiſcitur. Ex dictis

Colligitur Primo. Magis à Caluiniſtis,quàm à Lutheranis, hanc Concordiam inter ipſos, in eſſentialibus fidei, ſubdolè aſſeuerari.

Colligitur Secundo. Non eſſe nouum Lutheranis aut Caluiniſtis, fingere ſe conuenire in fide cum alijs, à quibus ſciunt certò ſe diſcrepare; ita fecerunt etiam ante 30. annos, aſſerentes ſe nihil diſcrepare in fide, à Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui hac tranſibat, & Græcis,vt hac ratione perſuaderẽt

mundo

mundo ſuam doctrinam, eandem eſſe cum doctrina Eccleſiæ Orientalis. Sed illorum technas aperuit dies: nam Patriarcha non eos veros Chriſtianos agnouit, ſed tanquam *impoſtores* abiecit. Repudiauit quoq; eoſdem initio in libris ſuis, M. Anton: de Dominis, etiam cùm Hæreticum ageret, quem illi maximè Gedanenſes, & Torunenſes gloriabundi, plenis buccis ſuum eſſe affirmabant, & eiuſdem cum ipſis fidei; de qua re pleniùs infra, quæſt: 17.

Colligitur Tertio. Alterutros, Lutheranos vel Caluiniſtas, neceſſariò errare in fide, ſeu non habere veram fidem, & eſſe Hæreticos, ac extra Eccleſiam Chriſti: quandoquidem de vno & eodem articulo fidei eſſentiali, quoad ſubſtantiam illius, ſeu rem ipſam, & non modum tantùm (vt ex teſtimonio ipſorummet vidimus) contraria vniuerſi credant aſſentiendo & diſſentiendo. quod clarius ex ſeq: quæſt: patebit.

Colligitur Quarto. Nicolaum Symmachum Prædicantem, aut Secretarium Torunen: in Reſponſione ad Monita Caluiniſtarum à Crucio collecta, vt telum contra ſe ſuoſq; validè intortum declinaret, hæreticè ſcripſiſſe: *Quæ*, inquit, *de diſſenſione Lutheranorum & Caluiniſtarum inter ſe, in rebus fidei ex ipſorummet ſcriptis afferuntur à Crucio, nihil faciunt, cùm ſint decerpta ex feruidè ſcriptis.* Sciebat enim, vtpotè Prædicans, aut amuſus Magiſtellus, Lutheranos credere, & palam profiteri, in Sacramēto Euchariſtiæ eſſe verum & reale Corpus Chriſti, & ipſum ore corporali ab ipſis manducari, & aliter ſentientes Hæreticos ab ipſis haberi. Similiter certus erat, Caluiniſtas totum hoc negare, & inſuper docere Lutheranos ſcripturę, & quidem in articulo eſſentiali palam aduerſari, & tamen diſſidere iſtos in rebus fidei, admittere, & concedere, vrgenti benè Aduerſario, nolebat. Nihilominus, quia omninò negare non audebat, vulpes callida caſſibus implicita, cùm aliter ſe explicare nequiuiſſet: hoc effugium adinuenit (ſed fruſtra ex vnguibus præda) *Lutheranos videlicet & Caluiniſtas quædam pacatè ſcripſiſſe: quædam verò feruidè, id eſt, bile contra alios commotos, & accenſos. Iam ergo ex prioribus non poteſt oſtendi, ipſos diſſentire inter ſe in rebus fidei,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſed tantùm ex poſterioribus, ex quibus firmum ac certum argumentum, veræ diſſenſionis deſumi non debet. Quid audio? An enim non pacatè Lutherani ſcripſerunt (idem autem dico de Caluiniſtis) cùm dogmata tantùm fidei ſuæ, in Catechiſmis aut Confeſſionibus, ſine vlla diſputatione, & cum aduerſario pugna, diuulgârunt? Ibi verò an non palam profitentur in Sacramento Euchariſtiæ, Lutherani quidem, eſſe verè ac realiter præſens verum Corpus Chriſti? Caluiniſtæ verò, non eſſe? Hoc autem ex teſtimonio ipſorum pacato: eſtne conuenire illos in re eſſentiali fidei, an diſſentire? Deinde cùm idcircò, vna iſtarum Sectarum, aliam *Hæreticam* appellat, vnde habet iſte, de triuio homuncio, id eos malo abreptos feruore ac furore facere? Niſi fortè illi aliqua Ægeria fuit, vt Numæ, quæ Lutheranorum conſilia, ipſi enunciauerit? Doluerunt nè aliquando ſe ita locutos? retractârunt nè viciſſim doctrinam ſuam? nihil tale, imò magis ac magis ſemper per integros annos 90. confirmarunt, & hucuſq; confirmant. Præterea, veranè iſti an falſa viciſſim de ſe locuti ſunt? Si vera? quid igitur oggannit hic Prædicans, aut Pædotriba? Si falſa? cur apertè non oſtendit, vnde hoc habet? & quomodo tandem ipſe his mendacibus credit? Tandem cùm vos Hæretici, nos Catholicos falſo appellatis *Idololatras*, & à nobis viciſſim hæreſeos damnamini (quod tamen longè modeſtiùs fit à nobis, quàm à vobis, Lutheranis contra Caluiniſtas, & vice verſa) dicendum nihilominus erit hæc vtrinq; ſcribi feruidè, ac proinde non verè; nec hinc diſcordiam in fide colligendam eſſe. Vnde tandem? Sed pluribus agere nolo cum rudi Miniſtro, aut ludi Magiſtro, maximè cùm iam retulerit mercedem inſipientiæ ſuæ, virgas, quibus ipſum nuper Catholicus Scriptor irrigatum, in piſtrinum, dignam tali Sopho palæſtram, detruſit.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An Lutherani & Caluiniſtæ ſimul ſumpti, habeant, & profiteantur vnam veram fidem Chriſtianam, ſeu ſint vnius veræ fidei, & profeſsionis Chriſtianæ?

QVæſtio eſt non de aliqua fide particulari; id eſt de aliquo actu fidei particulari, circa aliquod vnum particulare, ſeu determinatum obiectum reuelatum à Deo: ſed de fide totali, omnium ſcilicet obiectorum, ſeu articulorum eſſentialium fidei, aut neceſſariorum omnibus fidelibus, ad conſequendam vitam æternam.

PROPOSITIO I.

VTriq; iſti, ex propriâ ſententiâ, ſunt vnius veræ fidei, & profeſſionis Chriſtianæ.

Hoc neceſſariò ſequitur ex dictis in 1. Propoſitione quæſt: præcedentis.

PROPOSITIO II.

LVtherani & Caluiniſtæ ſimul ſumpti, non poſſunt dici ex propria ſententia, habere & profiteri vnam veram fidem Chriſtianam.

Probatur 1. Propoſitio authoritatibus Lutheranorum & Caluiniſtarum, citatis in 2. Propoſ: quæſt: præced. vbi etiam vidimus Lutherum hoc expreſſè affirmare.

Probatur 2. Illi, qui maximè ſcienter & expreſſè diſſentiunt in aliquo eſſentiali articulo fidei, non poſſunt dici, habere & profiteri vnam veram fidem, ſeu eſſe vnius veræ fidei & profeſſionis. At Lutherani & Caluiniſtæ ſcienter & expreſſè

diſſentiunt in aliquo eſſentiali articulo fidei. Igitur Lutherani & Caluiniſtæ, nõ poſſunt dici, habere & profiteri vnã verã fidẽ, ſeu eſſe vnius veræ fidei & profeſſionis. Minorẽ demõſtrauim⁹ quæſt; præced. Maior docetur à Luthero lib: cit: quæſt 11. & à Caluino ibidẽ in Reſponſione ad 2. Obiectionem. & colligitur ex Melanchtone, vt patebit in quæſt: 23. deniq; euidẽs eſt ratione. Vnitas enim non poteſt eſſe in eo, in quo eſt diuerſitas: nec poſſunt verè dici aliqui ſentire vnum, ſi diuerſum aliquid in eo ipſo ſentiant: & omne totale eſſentialiter conſtans ex ſuis partibus eſſentialibus, eſſentialiter illas includit; ita vt hoc ipſo, quod in aliquo eſſentiali totali, aliqua tantum vna pars ex illis eſſentialibus, non inuenitur, aut deſideratur, non poſſit hoc tale facere, & dici eſſe vnum eſſentiale, cum illo priori.

Probatur 3. Ideo nos Pontificij non habemus, nec profitemur cum Lutheranis & Caluiniſtis, vnam veram fidẽ Chriſtianam, idq; ex ſententia ipſorum, quia ſcilicet diſſentimus ab illis in aliquo, vel in aliquibus eſſentialibus fidei. Sed etiam Lutherani & Caluiniſtæ diſſentiunt inter ſe in aliquibus, vel in aliquo eſſentiali fidei, vt vidimus ſupra, & ipſi ſponte fatentur. Igitur Lutherani cum Caluiniſtis, non habent, nec profitentur vnam veram fidem Chriſtianam.

Probatur 4. Fides vera Chriſtiana, non poteſt eſſe vna cum fide falſa, Hæretica & Idololatrica, vt per ſe patet. Sed fides Lutheranorum ex ſententia Caluiniſtarum, fides eſt falſa, Hæretica & Idololatrica; Talis autem eſt etiam & fides Caluiniſtarum, ex ſententia Lutheranorum; vt vidimus. Igitur fides Lutheranorum ex ſententia Caluiniſtarum; & fides Caluiniſtarum ex ſententia Lutheranorum, non faciunt vnam veram fidem. Ac conſequenter Lutherani & Caluiniſtæ, non ſunt vnius veræ fidei & profeſſionis.

Colligitur hinc, hæreticè docere illos Caluiniſtas vel Lutheranos, qui dicunt vnumquemq; poſſe ſaluari in ſua fide, quamuis diſſentiant in eſſentialibus fidei. Sciunt enim illi ipſi & docent, neminem poſſe ſaluari extra Eccleſiam Chriſti: hanc autem non eſſe, vbi non eſt vera fides. Vera autem fides non eſt, vbi eſt error in eſſentialibus fidei. QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

An ex ſententiâ Caluiniſtarum Eccleſia Lutheranorum ſit vera Chriſti Eccleſia, & pariter ex ſententia Lutheranorum conueniat Eccleſiæ Caluiniſtarum?

NOmine Eccleſiæ Chriſti intelligitur congregatio fidelium, (imò vniuerſus cœtus) fidem omnem neceſſariam ad ſalutem, conſonam verbo Dei, tàm noui, quàm veteris Teſtamenti, profitentium: quo pacto eam accipiunt omnes iſti *Euangelici*. Hoc poſito, ſit

PROPOSITIO I.

TOta Eccleſia Lutheranorũ, ex ſētētia totius Eccleſiæ Caluiniſtarum, non eſt vera Eccleſia Chriſti.

Probatur 1. Eccleſia, quæ errat in aliquo eſſentiali fidei, ſeu in aliquo articulo neceſſario ad ſalutem, & vitam æternã, non eſt vera Eccleſia Chriſti. Sed tota Eccleſia Lutheranorum ex ſententia totius Eccleſiæ Caluiniſtarum, errat in aliquo eſſentiali fidei, ſeu in articulo neceſſario ad ſalutem, & vitam æternam. Igitur tota Eccleſia Lutheranorum, ex ſententia totius Eccleſiæ Caluiniſtarũ, non eſt vera Eccleſia Chriſti. Maior Propoſitio admittitur à Lutheranis & Caluiniſtis, quam etiam, quoad hanc limitationem, expreſſè docent extare in Sacra Scriptura, *Matth: 16. ℣. 18. & 1. ad Tim: 3. ℣. 16.* vt videbimus quæſt: 20. Minor Propoſitio ſimiliter eſt omnium Lutheranorum & Caluiniſtarum, vt vidimus quæſtione præcedente. Concluſio igitur erit vera.

Probatur 2. Congregatio quæ aliquid conſonum verbo Dei, & neceſſarium ad ſalutem, non credit, nec profitetur: non

eſt vera

eſt vera Chriſti Eccleſia; vt patet ex Definitione, aut Ethymologia nominis Eccleſiæ Chriſti, allata, & ab ipſis Aduerſarijs aſſignata. Sed Congregatio Lutheranorum ex ſententia Caluiniana, non credit, nec profitetur, aliquid conſonum verbo Dei, & neceſſarium ad ſalutem; vt vidimus quæſt: 1. Igitur Congregatio Lutherana, ex ſententia Caluiniſtarum, non eſt vera Eccleſia Chriſti.

Probatur 3. Eccleſia quæ non habet veram fidem, & quæ Hæretica eſt,& Idololatrica, non eſt vera Eccleſia Chriſti. Ob hanc enim cauſam Caluiniſtæ dicunt, Romanam Eccleſiam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam: & vera Eccleſia Chriſti ſecundum ipſos, eſt congregatio fidelium: qui autem carent vera fide, non ſunt ex numero fidelium: nec ſufficit,ex ſententia etiam eorundem Caluiniſtarum, vera fides, quoad aliquos tantùm articulos eſſentiales, ſed vt patet ex Ethymologia Eccleſiæ, requiritur quoad omnes. alias enim Caluiniſtis admittendum erit Synagogam Iudæorum, eſſe etiam verã Eccleſiam Chriſti,cùm & illa credat aliquos eſſentiales articulos veræ fidei. Sed ex ſententia omnium Caluiniſtarum, tota Eccleſia Lutheranorum, non habet veram fidem, & Hæretica eſt, ac Idololatrica; vt vidimus quæſt: 1. & 2. Igitur ex ſententia Caluiniſtarum, tota Eccleſia Lutheranorum non eſt vera Eccleſia Chriſti.

Probatur 4. Caluiniſtæ nullo modo agnoſcunt Lutheranos eſſe membra Eccleſiæ ſuæ, (& hi viciſſim illos.) Atqui Caluiniſtæ ſuam Eccleſiam exiſtimant eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Igitur Lutheranorum Eccleſiam exiſtimant non eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

PROPOSITIO II.

TOta Eccleſia Caluiniſtarũ,ex ſẽtẽtia totius Eccleſiæ Lutheranorum, non eſt vera Eccleſia Chriſti: ita apertè Lutherus l. c. in quæſt: 1.

Probatur propoſitio iiſdem quatuor argumentis, quibus & præce-

& præcedens propoſitio: mutatis tantùm aliquibus terminis.

Probatur 2. Congregatio hominum, quæ non credit verum Deum, non eſt vera Eccleſia Chriſti; vt per ſe patet. Sed ex ſententia Lutheranorum, Congregatio Caluiniſtarum non credit verum Deum, vt vidimus. Igitur ex ſententia Lutheranorum, Congregatio Caluiniſtarum non eſt vera Chriſti Eccleſia.

Ex dictis colligitur. Cùm aliqui Caluiniſtæ, docent eſſe apud Lutheranos veram Eccleſiam Chriſti, eos fingere & fallere: reuera enim aliter ſentiunt; vt patet ex dictis. Idem dico de aliquibus Lutheranis.

QVÆSTIO IV.

An Eccleſia Lutheranorum, & Eccleſia Caluiniſtarum, efficiant vnam veram Eccleſiam Chriſti?

PROPOSITIO I.

COnſtituunt vnam ex ſententia ipſorummet. Hoc neceſſariò ſequitur ex propoſ: 1. quæſt: 1. & 2.

PROPOSITIO II.

ECcleſia Lutheranorum, & Eccleſia Caluiniſtarum, ex ſententia eorundem, non efficiunt vnam veram Eccleſiam Chriſti. Patet hæc propoſitio euidenter ex dictis, in tribus quæſtionibus præcedentibus, ex quibus propter ſimpliciores colligam argumenta.

Probatur igitur primò. Congregatio hominum, quæ non conuenit in eſſentialibus fidei, cum alia congregatione, & quæ

Digitized by Google

Hæretica eſt & Idololatrica, neq; habet cum illa vnam veram fidem Chriſtianam, non poteſt cum eadem efficere vnam veram Eccleſiam Chriſti; vt patet per ſe ex terminis & ex dictis ſuprà. Tales autem ſunt Congregationes, Lutherana & Caluiniana, vt patet ex dictis. Igitur Congregatio Lutherana & Caluiniana, non poſſunt facere vnam verã Eccleſiam Chriſti.

Probatur 2. Illa ipſa ratio, ob quam ex ſententiâ vtrorũq; Aduerſariorum, Pontificia noſtra Eccleſia, non conſtituit cum illorum Eccleſijs vnam veram Eccleſiam Chriſti; probat etiã Eccleſiam Lutheranorum & Caluiniſtarum, non conſtituere inter ſe eandem. Ergo, &c.

Probatur 3. Vera Eccleſia Chriſti, cum eâ quæ non eſt vera, non poteſt conſtituere vnam veram Eccleſiam Chriſti; vt notum eſt ex terminis. Sed Eccleſia Lutheranorum ex ſententiâ eorundem, eſt vera Eccleſia Chriſti: Eccleſia autem Caluiniana nequaquam; & Eccleſia Caluiniana Confeſſione ipſorummet, eſt vera Eccleſia Chriſti, non autem Lutherana; vt vidimus quæſt: 3. Igitur ex ſententiâ vtrorumque Eccleſiæ illorum, non poſſunt conſtituere vnam verã Eccleſiam Chriſti.

Non negandum tamen eſt, ex vita & moribus vtrorumq; colligi, Eccleſias illorum de facto conſtituere vnam veram Eccleſiam malignantium, & perduellium, quæ ab eodem Spiritu nequam regatur, & gubernetur.

QVÆSTIO V.

Eratnè & vbi Euangelicorum, Proteſtantium, ſeu Caluiniſtarum, fides, & Eccleſia, Anno 1517. quo Lutherani Religionẽ ſuã inchoatã eſſe gloriantur, & cuius annum ſæcularem & Iubileum celebrârunt? Anno 1617.

QVæſtio eſt de fide, non ſecundùm aliquam partem, ſed de totali, actuali, ſeu vniuerſè ſumpta, quoad omnia ſcilicet ſi-

Digitized by Google

licet ſimul dogmata fidei, quæ Caluiniſmus tanquam eſſentialia & neceſſaria ad ſalutem, & vitam æternam, tradit, credit, & profitetur. Certum enim eſt, aliquod dogma huius fidei, creditum fuiſſe ante illum etiam annum. Nam & Berengarius multò ante, non crediderat veritatem Corporis Domini, (quamuis in alijs conueniret cum Eccleſia Pontificia) & poſt ipſum A.1516. Zuinglius, vt ipſe de ſe teſtatur. Hoc poſito, eſt

PROPOSITIO I.

NVllibi in mundo erat A. 1517. Caluiniſtarũ fides. Eſt communis Lutheranorum, Pontificiorum, Græcorum Schiſmaticorum, Huſſitarum, & Arrianorum Rakouienſium, eam ipſi Caluiniſtæ re ipſâ admittunt; nam quamuis affirmẽt ſuam fidem & Eccleſiam, ſemper à temporibus Apoſtolorum hucuſq; fuiſſe: nullum tamen locum, nec determinatam perſonam vel vnam ſaltem in quâ fuerit, cùm vrgentur, aſſignare poſſunt. Latibula duntaxat quædam cœca, & neſcio cuius Democriti puteos, in quibus hæc veritas altiſſimè ſepulta iacuerit, procul oſtendentes, quibus meritò illud Tertulliani, doctiſſimi, & antiquiſſimi Scriptoris, libro de Præſcrip: accomodari poteſt: *Quia poſt quæ carecta tàm diu latuiſtis, non valetis dicere, ideo vobis Eccleſiam ſanctam vendicare non poteſtis.*

Probatur primò propoſitio. Quia Anno illo 1517. nulla alia fides Chriſtiana fuit in mundo, quàm Pontificia, Græcorum Schiſmaticorum, Huſſitica, & fortaſſis Lutherana; de quo quæſt: ſequen. quarum nulla eſt Caluiniſtica: vt per ſe patet. Ergo, &c. Antecedens probatur. Quia non poteſt oſtendi alia: & directè probatur, Caluinianam non fuiſſe eo anno, quia nullus mortalium eo anno, nec Lutherus quidem ipſe, aut Zuinglius, aut Caluinus, qui tanquam eſſentiales articulos, ſeu dogmata fidei crederet, extitit, iſta omnia ſimul, videlicet: *In Cœnâ Domini non verè ac realiter eſſe, nec dari, nec manducari, aut bibi à nobis ore corporali, verum Corpus & Sanguinem Chriſti: ſed tantùm ſigna harum rerum. Imagines Chriſti, & Sanctorum, eſſe idola, nec in templis*

Digitized by Google

in templis habenda: cùm hoc aduerſetur omninò primo præcepto Decalogi. Sanctos non eſſe inuocandos, ne Chriſto fiat iniuria, & contra apertam Scripturam peccetur. Fidem ſolam, ſine vllis operibus bonis, ſufficere ad ſalutem. Nullum eſſe caput viſibile in terrâ, à quo tota Eccleſia gubernetur, & cui omnes fideles ſubeſſe debeant. Sacramenta nullam efficaciam habere: duo tantùm vel tria eſſe. Purgatorium nullum eſſe. deniq; non eſſe orandum pro defunctis. &c. Hæc autem omnia credit, tradit & profitetur, tanquam eſſentiales articulos fidei, Eccleſia Caluiniana. Nam propter contraria his dogmata, Caluiniſtæ noſtram Pontificiam fidem, & Eccleſiam dicunt (quod ſine dubio non facerent, niſi putarent illa enumerata dogmata eſſe eſſentialia fidei) non eſſe veram fidem & Eccleſiam Chriſti. Ergo, &c. Antecedens poſtremum rurſus probatur, quia non poteſt proferri eo anno, nec paulò ante, homo vel vnicus, qui ita crediderit, quoad omnia eſſentialia, vti credunt Caluiniſtæ; vel ſi in luce clarâ videns, tamen cœcutio, nominetur, regnum, locus, tempus, aut libri, qui talem doctrinam vniuerſam continebant. ex quibus nihil hactenus, quamuis vel maximè voluerint, proferre potuerunt Caluiniſtæ, cùm premerentur à noſtris Catholicis. Et certè ſi fuiſſet aliquis talis homo eo tempore, meminiſſent procul dubio eius Scriptores, (qui tamen nihil tale inſinuant) ſicut meminerunt aliorum, qui poſt tempora Apoſtolorum impugnârunt fidem, & Eccleſiam Pontificiam, etiam in non eſſentialibus, (vt primò cœperat Lutherus; de quo quæſt: ſequenti,) vel in aliquo vno tantum eſſentiali articulo. Quinimo Scriptores contrarium indicant, de fide Caluiniana, non Catholici tantùm, ſed & Lutherani. Aſſignant enim primum authorem fidei Caluinianæ, nimirum Caluinum: docentq; eum nemini ſucceſſiſſe immediatè, qui omnia illa ſimul, quæ ille credebat & docebat, crederet; ac proinde tunc in verâ Chriſti Eccleſia non fuiſſe. Nam ob ſimilem cauſam Cyprianus antiquus Doctor lib: 1. epiſt: 6. docet: *Nouatianum non eſſe in Eccleſia, quia nemini immediatè ſucceſſit, qui eodem modo, vt ipſe, docuit.* Inde & Tertul: lib: de præſcriptione. c. 32. intulit, *alios quoſdam non fuiſſe in Eccleſia, quia nequeunt Eccleſiarum*

ſuarum

Digitized by Google

ſuarum origines edere, nec ſucceſsiones Epiſcoporum euoluere. Denique Optatus Mileuit: hinc Parmenianum refellit: *Veſtræ Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Nominant præterea locum, vbi primum huius fidei Caluinianæ iacta ſunt ſemina: Geneuam ſcilicet, vnde & Caluinus *Apoſtolus Geneuenſis* dicitur; tempus etiam annum videlicet 1538. aut ſequentem: modum quo introducta fuit, quo fouente adoleuerit, quomodo infelix hoc lolium, Eccleſiæ ſata, iſtis in partibus, ſtrangulauerit, quomodo ſe longè latèq; diffuderit, quas turbas hæc fides excitauerit in Germaniâ, quis ſe illis oppoſuerit, quis illam defenderit, denique quomodo & à quibus damnata ſit, oſtendunt. Ergo, &c.

Probatur 2. Non erat eo anno fides Lutherana, cùm nec dum Lutherum, ſuperbiæ turbo, è Petri nauicula, & Religionis gremio eo anno excuſſiſſet, vt oſtendam quæſt: ſequenti. Ergo multò magis, idq; ex ſententiâ Caluiniſtarum, non erat eo anno fides Caluiniſtarum. Nam Caluiniſtæ maximè recentiores, quos citauimus in 1. ſent: quæſt: 1. dicunt Lutherum fuiſſe primum *Reformatorem*, id eſt deformatorem, *fidei, & Eccleſiæ Chriſti, in eſſentialibus:* poſt hunc autem Caluinum ſobolem Lutheri ſequentibus annis. vtrumq; à Deo excitatum, ad Eccleſiam Chriſti vaſtatam & deſolatam, de nouo erigēdam.

Probatur 3. Fides Caluiniſtarum primùm nata poſt annum 1538. Hoc enim anno Argentoratenſis Ciuitas, ſinu ſuo Caluinum exulem ex Galliâ, nondum plenè ac apertè Caluiniſtam excepit: qui paulò poſt ad Zuinglianam defecit: & in ſuum ferè nomen Sectam illam, additis illi alijs nouis erroribus, contraxit. Igitur non fuit fides Caluiniana eo anno. Fides enim Caluiniana non potuit eſſe, antequam ipſe Caluinus fuerit Caluiniſta. Et cùm Caluinus cœpit prædicare in Germania fidem Chriſti, & reformare Eccleſiam ipſius in eſſentialibus, vt ipſe de ſe, & Caluiniſtæ de eo, magnificè iactant: nullus hominum prodidit ſe, agnoſcens Caluinum, in omnibus eſſentialibus dogmatibus Religionis, & fidei Chriſti, ſocium & Doctorem. Non Doctor ipſe Lutherus, vt vidimus, & patet; nam

Digitized by Google

tet; nam ille Zuinglium & Carolſtadium, non credentes in Cœnâ Domini Corporis veritatem: qui articulus eſſentialis eſt etiam fidei Caluiniſticæ, deteſtatus eſt, & hoc *errorem in fide* eſſe, & quidem *pernicioſum*, teſte Smidelino, in Colloquio Helzbergen: fol: 89. affirmauit. Non Zuinglius, vel Carolſtadius, qui ante Caluinum Anno 1516. in deſpectum Lutheri, Reformationem Eccleſiæ Chriſti, auſpicatos ſe eſſe gloriantur, cùm tamen nonniſi in vno articulo eſſentiali diſſiderent eo anno, à Luthero, & à Pontificijs. Sed neq; ipſe Caluinus èo ipſo anno, omnia eſſentialia dogmata fidei ſuæ crediderat; vt patet ex Scriptoribus etiam ipſis Caluiniſtis. Ergo, &c. Denique patebit propoſitio, ex quæſt: 16.

PROPOSITIO II.

NVllibi in mundo erat Anno 1517. Caluiniſtarum Eccleſia.

Probant à fortiori hanc propoſitionem argumenta allata præcedenti propoſitione. Nam ad Eccleſiam Chriſti aſtruendam, iuxta etiam ſententiam Caluini non ſufficeret oſtēdere, vnum hominem, qui talem fidem eo anno habuerit: imò nec ſufficeret plurium eiuſmodi hominum fides, ſed cœtus, & publica profeſſio eiuſdem requireretur, (quæ tamen non fuerũt) alias enim portæ inferi præualuiſſent aduerſus Eccleſiã Chriſti, quod eſt contra infallibilem promiſſionem eiuſdem, quæ extat expreſſè in S. Scripturâ, *Matth: 16.* Requiruntur præterea Paſtores, qui miniſteria in Eccleſia Chriſti peragant, qui nominari à Caluiniſtis non poſſunt. *Sic enim,* vt ait Caluin: lib: 4. Inſtitut: c. 1. Sectione 11. *miniſterium Chriſtus in Eccleſiâ ordinauit, vt illo ſublato huius ædificatio pereat.* & c. 2. Sect: 3. *Ad conſeruandam Eccleſiam Chriſti in terris, magis eſt neceſſarium Paſtorale munus, quàm cibus & potus ad conſeruandam præſentem vitam.* Loquitur autem de veris Paſtoribus, qui verè & purè verbum Dei prædicent; vt patet ex ipſo textu, & apertè ex Sect: 10. ſuper illud Apoſtoli, 1. Tim: 3. *Eccleſia Dei viui, Columna & firmamentum veritatis. His,* inquit,

Digitized by Google

inquit, *ſignificat Paulus, Eccleſiam eſſe fidam cuſtodem veritatis Dei, quia eſt in eâ ſemper pura prædicatio verbi Dei.* Ex dictis

Colligitur primò. Fidem & Eccleſiam Caluiniſtarum, non eſſe abſolutè veram fidem, aut Eccleſiam Chriſti; quæ & ſemper debet eſſe vſq; ad finem mundi, ex ipſorum etiam ſententiâ: & ſpectabilis ac conſpicua ſaltem ſecundùm aliquam partem, vt videbimus quæſt: 20. Certè Ægidius Hunnius Lutheranus, c. 14. de authoritate S. Scripturæ, Tomo 1. ſic hac de re ait: *Solari luce clariùs effulget, continuam, & nullo vnquam tempore interſectam fuiſſe ſucceſſionem Eccleſiæ Chriſti.* Cur ergo ſaltem in hac ſolari luce, nullum hominem ſuæ fidei Anno 1517. Lutherani etiam, vt videbimus quæſt: ſeq. inuenire poſſunt?

Colligitur ſecundò. Fidem Caluiniſtarum, poſt quam iam Lutherana, quæ prior illa fuit, adoleuerat, ſucceſſiuè creuiſſe: nam nec ipſe Caluinus ſimul initio, omnia ſtatim dogmata eſſentialia ſuæ fidei Caluinianæ credidit. Non enim in omnibus articulis ſtatim à fide Pontificiâ per diſſenſum receſſit, ſed in aliquibus tantùm; alios verò credidit, quos rurſus ſucceſſu temporis impugnauit. O Protheū & hominem quâuis figuli rota magis volubilem! & hæc eſt conſtantia in fide, de quâ ad nauſeam vſq; huius Sectæ homines gloriari ſolent?

QVÆSTIO VI.

An Lutheraniſmus, ſeu Lutheranorum fides & Eccleſia, fuerit Anno 1517.

QVæſtio hæc ſimiliter vt & præcedens, eſt de fide totali, quam Lutheraniſmus profitetur.

PROPOSITIO I.

NOndum erat eo Anno fabricata & cuſa, fides Lutherana.

Probatur

Digitized by Google

Probatur primò. Eodem primo & ſecundo argumento, quibus præcedentis quæſtionis prima propoſitio probata fuit; quæ vt maius robur habeant, addendum eſt, Luthero impugnante eo anno articulum Pontificium de Indulgentijs, ſicut & alijs ſequentibus annis, nullus ſe prodidit hominum, qui agnoſceret Lutherum, in omnibus eſſentialibus fidei, quam ille prædicabat, Doctorem & ſocium: quâ iam ante Lutherum eſſet imbutus, & quam Lutherus oppreſſam vindicabat in libertatem, quod meliùs patebit in fine quæſtionis. Illi etiam qui ſe Luthero adiunxerant, Papiſticæ fidei fuerunt, vt per ſe clarum eſt.

Probatur ſecundò. Lutherus anno decimo ſeptimo, ſupra Milleſimum Quingenteſimum, in nullo articulo eſſentiali diſcrepabat palam à fide Pontificiâ. Igitur Lutherus eo anno, non erat fidei Lutheranæ, nec Lutheranus, ſed Papiſta. Ac proinde fides Lutherana eo anno non erat. Multò verò minus ipſe, aut vllus hominum, eo anno omnia dogmata fidei eſſentialia, ſeu complexionem omnium capitum, quæ ad fidem eſſentialem Lutheranam pertinere ſtatuuntur, credebat; vt patebit etiam ex probatione Antecedentis. Probatur igitur Antecedens. quia Lutherus non diſcrepabat eo anno ab Eccleſia Pontificia, *in Iuſtificatione, in Sacramentis, in neceſſitate bonorum operum, in libero arbitrio hominis, in primatu & poteſtate Summi Pontificis*; vt ipſe de ſe teſtatur Anno 1518. in epiſt. quam ad Pontificem LEONEM, plenam humilitatis & pœnitentiæ, in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis dederat: profitetur enim *ſe Eccleſiam S. Romanam*, cuius LEONEM Pontificem *caput* appellabat, & agnoſcebat, *in omnibus ſequi, colere, & obſeruare*; ſolas tantùm Indulgentias, vel potius abuſus Indulgentiarum, taxauerat eo tempore, quod ipſum etiam in eadem epiſt: dicit ſe feciſſe *coactum, ſeu libris ineptis deceptum, & diſputandi tantùm gratiâ*. Maturè igitur Religionis Lutheranæ Iubileum celebratum fuit Anno 1617. Lachrymari potiùs Lutheranos non iubilare oportuit, ob diſcerptam & fœdè dilaniatam, ac ſectam ſuam perfidiam, in tot Sectas, quot ſunt penè capita. Lege Sleidanum. Teſtantur &

Digitized by Google

tur & Theologi Academiæ Witemberg: eodem ipſo anno 1518. Lutherum non ſolùm eo annò, ſed nec præcedenti, diſcrepâſſe ab Eccleſiâ Romana in rebus fidei, nec contra Indulgentias quæſtiones mouiſſe, definiendi, ſed diſputandi cauſa tantùm. Et certè, ſi Lutherus tunc diſcrepâſſet in aliquo eſſentiali articulo fidei ab Eccleſiâ Pontificiâ, procul dubio contra talem articulum primo ferali, ſeu potius infernali tubâ ceciniſſet. Denique patebit propoſitio ex quæſt: 16.

PROPOSITIO II.

NOn erat eo Anno Eccleſia Lutheranorum.

Patet propoſitio à fortiori ex argumentis præced: propoſitionis, additis ijs, quæ diximus in 2. prop: quæſt: 5. Et certè eo anno docebantur, non ſolum à Pontificijs, ſed & ab ipſo Luthero, & à toto mundo aliqui articuli contrarij his, quos Lutherani dicunt modò eſſe eſſentiales fidei Chriſti, & ſuæ: (vt vidimus in 1 propoſitione, & ipſi vltrò admittunt) ac proinde non fuit eo anno Eccleſia Lutherana, & conſequenter nec Chriſti: quod ſecundum S. Scripturæ repugnat, vt vidimus quæſt: præcedenti, imò & ipſi Luthero. Vult enim ille in Epiſt: ad Albertum Comitem Mansfeldium, vt *in Eccleſia Chriſti nullus articulus vllo tempore, non ſolùm negetur, ſed etiam neq; ob metum Tyrannorum, reticeatur. Nam qui,* inquit, *negat Chriſtum, in vno articulo, vel verbo, eum abnegat, qui in omnibus abnegatur, quandoquidem tantùm vnus eſt Chriſtus, idem in omnibus verbis ſuis.*

Ex dictis colligitur primò. Imprudenter Lutheranos Anno 1617. celebrâſſe Iubileum, ſeu exactum Centeſimum annũ fidei Lutheranæ; principium enim illius centeſimi, ſeu aurei ſæculi, ſtatuunt annum 17. ſupra Milleſimum, Quingenteſimũ, qui vt vidimus non erat, ſicut nec ipſa Lutherana fides erat. Nam non hoc ipſo quod Lutherus cœpit eo anno impugnare dogma aliquod Pontificium, imò non eſſentiale, vt ipſi etiam Aduerſarij in Chronologiâ ſuâ Anno 1618. Helderbergæ edita, admittunt ſequitur: continuò Lutheranam fidem totalem

Digitized by Google

cœpiſſe, de quo eſt quæſtio; & quòd malè, vt apparet, intellexerunt, Scholares Neuhuſiani, in 1. ſententiâ quæſt: 1. citati: vel ſi cognouerunt, nequiter impugnant Adamum Contzen.

Secundò. Fidem & Eccleſiam Lutheranorum, non eſſe veram fidem aut Eccleſiam Chriſti, ſiquidem non fuit A. 1517. ſed primùm nata eſt & inchoata illo anno, vt ipſi gloriabundi aſſerunt. Fatetur ingenuè Lutherus Tom: 8. Germ: in Confeſ: de Sacram: doctrinam ſuam, quando prodijt *nouam* fuiſſe. *Quoniam*, inquit, *eo tempore*, nimirum circa Annum 1520. *doctrina hæc noſtra noua, & ſupra modum ſcãdaloſa per vniuerſum orbem erat, pedetentim progredi cogebar, & propter infirmos* (certè nec propter huiuſmodi, mentiendum erat in rebus fidei,) *multa concedebam, quod poſtea non feci.* Deniq; idem Lutherus docet conc: de Aſcẽſione Chriſti, quæ extat inter 27. conc: Argentinæ editas, *illam eſſe Eccleſiam Chriſti, in qua Euangelium & vera fides, non in angulo tantùm prædicatur, ſed per totum orbem, & publicè.* Anno verò 1517. fides Lutherana ne quidem in angulo prædicabatur: imò & multo tempore poſt, nonniſi in angulo; vt ipſe Lutherus in Colloquijs Iſlebenſibus, de nouiſſimo die teſtatur: *Quid autem hoc ſibi velle putas* (reſpondet amico dicenti, non tàm citò diem extremum Iudicij futurum) *quòd noſtrum Euangelium in angulo prædicatur? Tota Aſia, Africa, Euangelio caret, imò & Europa in Græciâ, Gallia, Italia, Polonia, & Anglia. Puſilla hæc Prouincia Saxoniæ, diem nouiſſimum nequaquam morabitur.*

Tertiò. Fidem Lutheranam ſucceſſiuè creuiſſe ab Anno 1520. quo Lutherus deſperatione in conſilium vocata, poteſtatem Summi Pontificis apertè impugnare, & iam in fide eſſentialium articulorum vacillare, ac errare cœpit.

QVÆSTIO VII.

An Eccleſia Pontificia Anno 1517. & ſequentibus, imò & Anno 1538. habuerit veram fidem, & fuerit vera Eccleſia Chriſti?

Non

Digitized by Google

NOn quæritur, an fuerit eo anno fides & Eccleſia Pontificia. hoc enim certiſſimum eſt, etiam ex ſententiâ ipſorum Aduerſariorum. Quæſtio etiam eſt de fide eſſentiali, totali, actuali, non habituali.

PROPOSITIO I.

ECcleſia Pontificia habuit eo anno veram fidem. Quam propoſitionem, licet verbis negent Hæretici moderni re ipſâ tamen concedere debent.

Probatur primò. Erat eo anno vera fides Chriſti in mundo; ſed nulla alia talis aſſignari poteſt, præter Pontificiam. Ergo, &c. Prima pars Antecedentis non poteſt negari, vt vidimus quæſt: 8. confirmata non ſolùm ex S. Scripturâ, ſed & ipſorum Aduerſariorum ſententiâ: & fuſiùs oſtendemus q.20. Altera pars probatur: Non Lutherana vel Caluiniana, quia illæ nondum erant, vt vidimus ſupra. Non Anabaptiſtica Rakouiana, vt ſine dubio concedent Lutherani & Caluiniſtæ. Non Huſſitica, quippe quæ non omnia eſſentialia dogmata fidei, quæ etiam Lutherani aut Caluiniani tenent, credit, ac profitetur: imò contra Caluiniſtas, Chriſti Corpus in Cœna ſumi ore corporali, credendum eſſe aſſerit. Non Græca Schiſmatica, quod ſpiritu hæretico ebrius Hunnius aſſeruit. nam hæc negabat eo tempore, Spiritum S. eſſe verum Deum; quod credo non aſſeuerabit, ſui immemor Hæreſiarcha iſte. Igitur Pontificia, quod admittit quidem Hunnius, ſed imprudenter reſtringendo ad infantes baptiſmatis lauacro, in Papatu à Popis græciſantibus expiatos. Quæſtio enim eſt de fide totali, actuali, quæ non eſt in infantibus, qualis vigere ſemper in mũdo, & teneri à cœtu hominum debet; vt & ipſe Hunnius concedit lib: cit: quæſt: 3.

Probatur ſecundò. Gloriantur Lutherani, imò & Caluiniani, Lutherum primum Eccleſiam & fidem, quam in mundo inuenerat, reformâſſe in fundamentalibus, & poſt ipſum magis adhuc Caluinum. Reformârunt autem ipſis etiam aſ-

Digitized by Google

ſentientibus (ſaltem primò & præcipuè) Pontificiam. Vel ergo nullam fidem Chriſti, quoad omnia ſua eſſentialia dogmata reprererunt in mundo; vel Pontificia fides erat tunc vera fides Chriſti. Primum ab illis dici nequit, vt vidimus ſupra. Secundum igitur concedant, neceſſum eſt, quod hîc contendimus. Vera autem Eccleſia Chriſti, & vera fides totalis, actualis, debet eſſe ſine vllo errore in omnibus eſſentialibus articulis; vt ex dictis patet: & quia aliàs non eſſet totalis, actualis, eſſentialis. Ac proinde cùm iſti Hæreſiarchæ cœperunt reformare, vt ipſi iactant, hoc eſt, turpiſſimè deformare Eccleſiam Pontificiam & fidem, Eccleſia hæc & fides carebat errore in omnibus eſſentialibus articulis. Quomodo ergo poterat ab iſtis reformari in fundamentalibus? quid vobis videtur Lutherani & Caluiniſtæ de hoc nodo?

PROPOSITIO II.

ECcleſia Pontificia fuit eo anno vera Eccleſia Chriſti.

Probatur à fortiori argumentis præcedentis propoſitionis, & aliarum quæſtionum. Et certè, ſi Lutherus credendo & prædicando omnia eſſentialia dogmata veræ fidei, primus fuit reformator Eccleſiæ Chriſti, hoc eſt Pontificiæ, deformatæ erroribus, cùm ipſe primus congregauit hanc Eccleſiam: nec ipſe fuerit hæc Eccleſia, vel nō inuenit veram Eccleſiam Chriſti in mundo, quod contra ipſum quoq; Lutherum eſſet, vt vidimus ſupra, & videbimus infra: vel Eccleſia Pontificia erat vera Eccleſia Chriſti, quod volumus. Exemplum ſit in M. Antonio de Dominis, qui Anno 1617. quo Lutherani & Caluiniſtæ iubilârunt, nouam fidem in mundum inuexerat, ſecundùm quam totam ſimul ſumptam, non conueniebat cū Pontificijs, nec cum Græcis, Lutheranis, Caluiniſtis, Huſſitis, & Anabaptiſtis, (ſed cum ſingulis his, in aliquibus tantùm articulis;) imò cum nullo Chriſtiano, vt quæſt: 17. videbimus. Hic autem fidem ſuam eſſe veram, & apud ſe eſſe Eccleſiam Chriſti, & nō alibi,

Digitized by Google

alibi, non poterat ante aliquot annos, ex ſententiâ etiam Lutheranorum & Caluiniſtarum, dicere uerè, etiam ob hanc cauſam: quia tunc, quando prodijt cum hac fide, ſolus erat fidei talis, & nemo alius. Atqui idem apertè quadrat Luthero. Solus enim ipſe cœpit prædicare fidem aliam, quæ non erat ante illum annum 1517. & aggregare Eccleſiam, ad quam non pertinebat tunc vllus ex Pontificijs, nec Caluinus ipſe, erat enim Pontificius adhuc: nec Zuinglius, aut Carolſtadius, quippe occulti hoſtes, veritatis præſentiæ Corporis Chriſti in Cœnâ Euchariſticâ; in reliquis verò apertè inimici fidei Lutheranæ. Ex quibus certè tàm ſibi in fide contrarijs, vera Eccleſia, ac Corpus Chriſti conſtrui non poterat. Alius etiam non poteſt aſſignari. Quis enim ille? Igitur eo anno nec Lutherani poterunt hoc verè dicere. Ac proinde Pontificia Eccleſia, erat eo anno vera Eccleſia Chriſti. Idem telum ferit Caluinum, cuius ictum, licet quadrigas conſcendat Iouis, non effugiet.

Probatur tertiò. Eccleſia, quæ quoad fidem & profeſſionem omnium eſſentialium, non fuit immediatè ante annum 1517. noua eſt, ac proinde non vera Chriſti; vt patet ex dictis. Talis autem eſt Lutherana & Caluiniana, vt vidimus quæſt: 5. & 6. non verò Pontificia, quæ multis annis ante eum annum fuit. Igitur Pontificia, quæ erat eo anno, & non Lutherana aut Caluiniana, erat vera Chriſti Eccleſia.

Ex dictis colligitur, fidem, & Eccleſiam Lutheranam & Caluinianam, nec modo eſſe veram fidem, & Eccleſiam Chriſti. Quando ergo? & vbi erit? Nunquam, & nuſquam: niſi fortè in Vtopia.

QVÆSTIO VIII.

An Lutheranis & Caluiniſtis, vnus ſit mediator ad Deum, Chriſtus Dominus?

QVæſtio eſt de Mediatore, qui non per redemptionem ſatis facit Deo, ſecundùm rigoré iuſtitiæ pro peccatis hominum

Digitized by Google

minus (quo pacto *vnus eſt* tantùm *mediator* ; 1. ad Tim : 2. ℣. 5. vt apertè conſtat ex contextu verborum ibi,) ſed per interceſſionem & Orationem ad Deum , eamq́; fundatam in meritis Chriſti, (per Chriſtum enim omnia reconciliantur, teſte Apoſtolo, ad *Col : 1.*) impetrat & obtinet , vel poteſt obtinere alteri à Deo bonum ; propter cuius conſecutionem , rogatur ab eo , vt intercedat pro eo. Nullus enim Catholicorum credidit, vel docuit, Sanctos in cœlo cum Deo exiſtentes, eſſe priore modo mediatores ad Deum , alijs hominibus in terris exiſtentibus: ſed tantùm illo ſecundo, (vt patet ex profeſſione fidei noſtræ , & ex libris Catholicis ;) quod tamen impugnant Aduerſarij , & tanquam hæreſim in nobis Pontificijs , ac iniurioſum Chriſto, damnant. Vnde profeſſionis fidei Geneuenſ : & Bibliorũ ipſorum talis eſt artic : 24. *IESVS Chriſtus ſolus eſt aduocatus, & interceſſio Sanctorum, abuſus eſt, & fallacia Sathanæ.* Quàm verò rectè iam expendamus. Hoc poſito

PROPOSITIO I.

EST vnus. Non eget probatione, cùm etiam Hæretici eam amplectantur.

PROPOSITIO II.

NOn eſt vnus Lutheranis & Caluiniſtis, Mediator ad Deum, Chriſtus Dominus.

Probatur. Sunt multi alij : Ergo non eſt vnus Chriſtus. Conſequens eſt certum. Antecedens probatur. Plebs Lutherana & Caluiniana , in neceſſitate aliquâ poſita , rogat Miniſtros, vt orent pro illis ad Deum, & intercedant ; & Miniſtri viciſſim plebem rogant, ſeu aliquos ex plebe : quod negare, cùm apertè faciant, niſi admodũ temerarij eſſe velint, non poſſunt. Et ſi negarent, tunc quærerem ex illis , an poſſent id facere licitè ac honeſtè, quod & probo poſſe eo modo. Primò. Sanctus Iacobus *cap : 5. ℣. 16.* vult, & monet nos , vt oremus pro inuicem, vt ſaluemur. Id verò quod aliquis honeſtè poteſt præſtare pro

Digitized by Google

ſtare pro altero, & ſine peccato, poteſt ille alter honeſtè petere ab ipſo, vt etiam lumine naturæ notum eſt. Poteſt autem homo, vt vidimus ex Apoſtolo, licitè orare Deum, vt alteri propter merita Chriſti, donum aliquod gratiæ conferat. Ergo & alter poteſt licitè rogare illud ab eo, ac proinde vt oret. Secundò Apoſtolus Paulus rogat fideles Romanos, & alios in alijs Eccleſijs, nec peccat in hoc, vt orent, & quidem inſtanter pro omnibus ad Deum, & pro ipſo, vt Deus aperiat illi oſtium ſermonis, ad loquendum Myſterium Chriſti, ad *Epheſ: 6. ℣. 19. Coloſſ: 4. ℣. 3. in 1. ad Theſſal: 5. ℣. 25. & in 2. 3. ℣. 10. & in 1. ad Tim: 2. ℣. 1.* Hinc verò ſequitur, cùm aſſerit idem Apoſtolus, *1. Tim: 2.* vnum tantùm eſſe Mediatorem, Chriſtum videlicet, nō intendere docere, ita eſſe vnum Mediatorem, vt nullus alius intercedere debeat. Cur enim alios ipſe rogaret, vt pro ſe preces ad Deum funderent? Poterunt ergo hoc ipſum & Lutherani, & Caluiniſtæ facere, ac proinde tunc non erit eis vnus Mediator, aut interceſſor Chriſtus. Hoc enim facere, eſt orare vt intercedat; & ille qui orabit pro illo, erit interceſſor, ſeu Mediator. Igitur, &c.

Sed audiamus, quid aliquando aliqui cœci, vel impudentes Lutherani & Caluiniſtæ, reſponderint mihi, tàm claris rationibus conuicti. Dicunt enim poſſe à nobis licitè rogari homines *viuos*, vt pro nobis intercedant, ſed non mortuos, quales ſunt Sancti in cœlo.

Sed contra eſt: quia quæſtio eſt abſolutè, vtrum vnus ſit Mediator per interceſſionem? Deinde apertè iam concedunt Aduerſarij, non eſſe ipſis vnum Mediatorem Chriſtum Dominum, contra teſtimonium expreſſum Apoſtoli, (quod ipſi producunt contra nos) ſed plures: neq; enim Apoſtolus, ſi abſolutè vult eo loco vnum eſſe Chriſtum Dominū Mediatorem, per interceſſionem (vt dicunt Aduerſarij) intelligit mortuum mediatorem, ſed viuum. Aduerſarij verò admittunt iam plures mediatores viuos, per interceſſionem. Tandem, mortuæne ſunt iſtis & non viuæ animæ hominum Sanctorum, qui ex hac vita piè deceſſerunt? & à quo alio, quæſo, efficienter, propriè

& imme-

& immediatè procedit actio orandi, quàm ab anima hominis? certè non à corpore, cui illa vnitur, vt docent omnes etiam Philoſophi. Cùm ergo, mortuo homine etiam, extet anima illius, viua igitur erit, ac proinde poterit rogari ac orare; & cùm rogabitur, ac orabit, dicetur more S. Scripturæ (quæ hoc modo etiam loquitur) ille homo, cuius anima eſt in cœlo, rogari ab homine exiſtente in terrâ, & pro illo Deo ſupplicare. Igitur Lutheranis & Caluiniſtis, non eſt vnus Mediator Chriſtus Dominus. Vt quid ergo tam procaciter nobis iſti Euangelici inſultârunt? Videant in quibus tenebris verſentur, & dum tempus eſt, miſeri reſipiſcant: & terram velut talpæ contra Solem, ne ipſius feriantur radijs, non exaggerent.

Iam verò admiſſo hoc, vt debent admittere Aduerſarij, ſoluant etiam ipſi illud, quod ex Apoſtolo ad *Rom:10. ℣.14.* nobis inuocantibus Sanctos, hoc eſt, petentibus, vt pro nobis orent, obijcere ſolent: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderũt?* & quomodo ipſi non erunt iniurioſi, imò & S. Paulus in Chriſtum, cuius gloriam hoc modo obſcurant? deniq; quo pacto ille actus, quo vnus Lutheranus vel Caluiniſta, rogabit alterũ; & S. Paulus rogauit fideles, vt pro illo orent ad Deum, non erit actus religionis, imò latriæ, qui ad ſolum Deum dirigitur, &c. Moueant hunc lapidem. Quod ſi dicent teſtimonium Apoſtoli ad Romanos, intelligendum eſſe de eo, qui inuocatur, tanquam primus author bonorum: & reſpectu huius actus, actus orandi, eſt actus religionis; illud etiam nos dicimus, cùm Sanctos oramus, ſeu inuocamus, ac proinde immeritò ab Aduerſarijs carpimur.

Scire autem ſaltem Sanctos Angelos, quæ hic aguntur in mundo, & noſtras preces, quas ad Deum, vel ad ipſos fundimus, negare non poſſunt Lutherani ac Caluiniſtæ, cùm hoc conſtet ex S. Scripturâ, videlicet ex *Gen: 48. ℣. 15.* vbi S. Patriarcha Iacob inuocat Angelum ad benedicendum Ephraim, & Manaſſe, dicens: *Angelus, qui eruit me à cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur* (Nota) *ſuper eos nomen meum: nomina quoq; Patrum meorum, Abrahã & Iſaac, & creſcant in multitudine ſuper terram.*

Intelli-

Digitized by Google

Intelligit autem verum & proprium Angelum, vt patet ex *cap: 32. Gen.* ℣. *2.* vbi dicuntur obuiam illi veniſſe Angeli Dei, miſſi ſcilicet à Deo ad defenſionem illius, propter quod ille viſis illis dixit: *Caſtra Dei hæc ſunt.* ac proinde & locum illum appellauit: *Caſtra,* in quo Angeli Dei apparuerant. Item ex *Tob: 12.* & *Lucæ 15.* quo loco affirmat Chriſtus Angelos Sanctos gaudere, cùm peccator agit pœnitentiam; ac conſequenter hoc cognoſcere. Gaudium enim de aliquo bono, cùm ſpectet ad voluntatem, non eſt ſine cognitione illius boni, vt docent etiam Philoſophi. deniq; *Matth: 28. Marc: 16.* & *Luc: 24.* ex quibus locis habetur Angelos ſciuiſſe duas Marias timere, & quærere IESVM. Ac propterea dixerunt: *Nolite timere vos, ſcio enim quòd IESVM crucifixum quæritis.* Sed quod maius eſt, & orare Angelos pro nobis, teſtatur S. Scriptura. *Zach: 1.* ℣. *12.* dixit enim Angelus: *Domine exercituum, vſquequo tu non misereberis Ieruſalem, & vrbis Iuda.* Similis eſt hæc oratio illi, quæ vera oratio eſt, & habetur *Iob: 7.* ℣. *19. Pſal: 6.* ℣. *4.* & *Pſal: 12.* ℣. *1.* Poterunt ergo Sanctos Angelos inuocare Lutherani & Caluiniſtæ, non ſolùm ſine iniuria Chriſti, ſed etiam vt ſcientes inuocationem ipſorum, &c. imò & alias animas beatas.

Primò: quia ſunt illæ in cœlo æquales Angelis. *Luc: 20.*

Secundò: quia expreſſè teſtatur S. Ioannes, *Apoc: 6.* animas interfectorum propter verbum Dei & teſtimonium quod habebant, exiſtentes in cœlo, vt verò iſti Euangelici loquuntur, *in manu Dei*; ſciuiſſe interfectores illorum adhuc viuere in terrâ, nec punitos eſſe à Deo, ac propterea orâſſe Deum, poſtulando aliquod malum ijs, ſcilicet vt punirentur: *Vſquequo Domine, Sanctus, & Verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terrâ?* Poterunt ergo eædem orare Deum, poſtulando aliquod bonum hominibus, qui in terrâ viuunt. Non eſt enim maior difficultas in hoc, quàm in illo. Etſi charitas erga ſe eſt tàm potens in illis ad poſtulandam vindictam de inimicis, erit procul dubio & charitas erga proximum, ita potens, vt inclinet illos ad poſtulandam gratiam amicis. Non poteſt verò aſſeri illam non fuiſſe orationem illarum anima-

rum. Fuit enim petitio, imò decentium à Deo: decens enim eſt, vt vindicta ſumatur à Deo propter ſcelera. Hoc autem eſt Oratio, vt per ſe clarum eſt, & docet S. Auguſtinus. Similis eſt hæc Oratio illi Dauidis, quæ extat *Pſal: 67.* ℣. *2. Pſal: 73.* ℣. [illegible] & vera Oratio eſt. Clamor etiam ipſe illarum animarum; dicuntur enim clamâſſe ad Deum dicentes, indicat fuiſſe Orationē: *Clamabit ad me*, inquit Deus, Pſal: 90. ℣. 15. *& ego exaudiam.* Deniq; quia deſiderium etiam alicuius rei decentis à Deo, quale fuit iſtarum animarum, eſt Oratio. *Deſiderium pauperum*, inquit S. Dauid, Pſal: 10. ℣. 16. *exaudiuit Dominus* & Iob 31. ℣. 35.

Tertiò, habetur *1. Reg: 28.* Samuelem mortuum apparuiſſe Sauli, & narrâſſe, quæ ei euentura eſſent, videlicet quòd ipſe cū filijs in craſtino moriturus eſſet; quòd caſtra Iſraël in manus Philiſthijn tradenda, imò & ipſe Iſraël. Deniq; Chriſtus in narratione, de Diuite Epulone, & Lazaro, *Lucæ 16.* docet Abrahamum ſciuiſſe, quid agatur cum hominibus in terrâ; Diuitem ſcilicet recepiſſe bona in vita, Lazarum verò mala. Et quod plus eſt, docet idem Chriſtus eodem loco: Diuitis animam in inferno, (nomine cuius intelligant quod volunt Lutherani & Caluiniſtæ) ſciuiſſe viuere adhuc quinq; fratres ſuos in terrâ, & perditè ad ſui imitationem viuere, ac tandem Abrahamo pro ſe & fratribus ſuis ſupplicâſſe. Dicere autem hæc omnia parabolicè dicta fuiſſe à Chriſto, & parabolam eſſe, non verò veram narrationem: primò quidem, quia Diuitem nomine proprio Chriſtus non vocauerit: deinde, quia expreſſè extat, *Iſa: 63.* ℣. *15.* Abrahamum & Iacob neſcire nos. & falſum eſt, & futile, & nihil ad rem. Falſum quidem, nam quod ſit Parabola, ex Scriptura non habetur, & additur hoc Scripturæ ab Hæreticis. nec concluſa fuit à Chriſto hæc narratio, vt aliæ Parabolæ, illis verbis: *Ego autem dico vobis.* Falſum etiam eſt, Iſaiā ex ſua ſententia dicere, neſcire Abrahamum nos, ſed Iudæos, & neſciuiſſe, non neſcire. Sic enim legimus: *Tu enim Pater noſter es, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos.* Hinc enim quod ante neſciuit, non rectè infertur, modo quoq; neſcire. Futile verò, nam neq; filium Viduæ, quem in Naim ſuſcitauit

Chriſtus,

Digitized by Google

Chriſtus, nomine proprio appellat; nec iuuenem, qui interrogabat: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* nec decem leproſos mundatos: nec deniq; illos 18. ſupra quos quondam narrauit turrim cecidiſſe, ſed abſolutè tantùm dixit: *Sicut illi decem, ſupra quos, &c.* Deniq; nihil ad rem: primò, quia affertur apertè Scriptura, Abrahamum ſcire quid agatur in terra. Secundò, quia illud quod dicit Iſaias, Abraham neſciuiſſe Iudæos, & Iſraël ignorâſſe: nihil aliud ſignificat, quàm noluiſſe agnoſcere illos filios, propter peccata ipſorum; vt docet S. Hieronymus & Auguſtinus ibi, & probant, & explicant ex alio loco Scripturæ, ac ex modo loquendi Chriſti ad Virgines: (quo pacto etiam Euangelici explicant Scripturam per Scripturam, licet nihil ad rem ſit,) *Neſcio vos.* Denique quia poteſt aliquis aliquem non noſcere, & tamen res illius ſcire. Sicut non nouimus Abrahamum, & tamen multa de ipſo ſcimus.

Addo his omnibus, Moyſem, vt legimus *Deut: 5. ℣. 25.* Orationem ſuam pro populo ad Deum interceſſionibus Sanctorum, non exiſtentium iam in terra, fulciſſe: *Recordare*, inquit, *ſeruorum tuorum, Abraham, Iſaac, & Iacob; nec aſpicias duritiam populi huius.* Omitto, nec vrgeo teſtimonium ex *2. Mach: 15. ℣. 14.* vbi Hieremias Propheta, & Onias mortui, antequam eſſent beati, orâſſe pro populo ſuo affirmantur: quia noſtris Symmachis, ſine vllâ reuelatione, hos libros non eſſe Canonicos, placuit aſſerere, & firmiter tenere. Sed inuocandos eſſe Sanctos, in ſententiâ Lutheranâ & Caluinianâ, patebit ex q. 36.

QVÆSTIO IX.

An in Eccleſiâ Lutheranâ & Caluinianâ, ex ſententia ipſorum reperiatur, & ſit vera Iuſtitia, & Sanctitas; & ſi nõ, quid inde ſequatur?

NOn ſumus ita duri, ſicut Lutherus & Caluinus, (quod patebit ex quæſt: 16.) vt quæramus, vtrum Sanctitas & Iuſtitia,

ſtitia, re ipſa ſit in ſingulis membris Eccleſiæ Lutheranæ & Caluinianæ; ſed, an ſaltim in multis. Debere autem eſſe Eccleſiam Chriſti ſanctam, ſaltem hoc modo, docet Symbolum Apoſtolorum, & Nicænum; & Apoſtolus, *1. Cor: 3.* & ad *Epheſios 5.* Hoc poſito

PROPOSITIO I.

NOn eſt in Eccleſia Lutheranorum & Caluiniſtarũ, vera Sanctitas & Iuſtitia, ex ſententia ipſorũ.

Probatur primò. Vera Sanctitas & Iuſtitia conſiſtit in operibus bonis, ſanctis, & iuſtis. Talia autem non ſunt opera Lutheranorum & Caluiniſtarum, ex ſententia illorum ipſorũ. Igitur apud Lutheranos & Caluiniſtas, ſeu in Eccleſia ipſorũ, non eſt vera ſanctitas, & iuſtitia. Minor oſtendetur quæſt: 25. Maior probatur, tùm ex communi hominum æſtimatione, qui quamdiu alicuius opera non ſunt bona, ſancta, & iuſta, non dicunt eum eſſe ſanctum, & iuſtum; tùm ex S. Scripturâ, quæ non alios homines appellat *Sanctos*, & *Iuſtos*, quàm tales: vnde & opera bona vocat *Iuſtitiam*; Prou 11. Deniq; quia non poteſt aſſignari in quo alio Sanctitas, & Iuſtitia noſtra, conſiſtat. non in fide, nam tunc omnes, qui ſunt in Eccleſiâ, eſſent Sancti; quod eſt falſum; ſiquidem cum fide verâ poteſt ſtare iniquitas; hoc eſt peccata, & quidem grauia, quæ ſeparant hominem à Deo, & à Regno cœlorum. vt colligitur ex *Ioannis 12.* Sanctitas autem vera non poteſt ſimul eſſe cum tali iniquitate; & cùm fides ſit opus noſtrum, iam aliquod opus noſtrum eſſet ſanctum, & iuſtum, quod negant Aduerſarij: & tandem iuſtitia noſtra, eſſet iam aliqua qualitas interna, & inhærens nobis, (fides enim eſt aliquid internum nobis) quod nullò modo admittent Aduerſarij; ſed nec poteſt dici ſanctitas noſtra, & iuſtitia, per quam ſumus ſancti & iuſti, formaliter conſiſtere in ſanctitate & iuſtitia Chriſti, imputata nobis: nam ſic omnes fideles eſſent, verè ſancti & iuſti, quod eſt falſum. cum iuſtitiâ etiam Chriſti imputata alicui, ſcilicet per fidem, vt volunt Ad-

uerſarij,

Digitized by Google

uerſarij, poteſt ſtare maxima iniquitas, vt docet Scriptura: & Aduerſarij de multis hominibus ſuæ Sectæ docent ſæpè, non eſſe in illis ſanctitatem & æquitatem, & iuſtitia Chriſti imputata, non eſt verè in nobis; nos autem quærimus de tali iuſtitia & ſanctitate, quæ verè ſit in Eccleſia: id eſt, de pulchritudine interiori hominis. Hæc enim eſt iuſtitia & ſanctitas, teſte D. Auguſt: *epiſt: 87.* quæ oportet, vt ſit verè in nobis, & facta à Deo in nobis, ex eodem Auguſt: *lib: 15. de Trinit.* & in *Pſal: 98.* Chriſti autem iuſtitia imputata nobis, eſt verè tantùm in Chriſto. Id autem, quod merè imputatur tantùm alicui, non inde ſequitur continuò eſſe in illo: & ſolâ merâ reputatione diues, non eo ipſo verè eſt diues. Deniq; iuſtitia quam homo non facit, non conſtituit illum formaliter iuſtum; qui enim facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & Chriſtus iuſtus eſt: vt docet S. Ioannes, *ep: 1. c. 3. ℣. 7.* Propterea Dauid dixit Sauli, 1. Reg: 20. *Dominus vnicuiq; retribuit ſecundùm iuſtitiam ſuam & fidem.* vbi notanda ſunt primò illa verba: *iuſtitiam ſuam*; ſcilicet quam facit, per quam etiam, vt apertè conſtat ex textu, intelligit opera bona. ſecundò illa alia: *ſecundùm iuſtitiam ſuam*; his enim indicat, bona opera noſtra eſſe merita apud Deum. tertiò, tandem illud verbum, *Fidem*; quam diſtinguit à iuſtitia: ac ſi planè impugnaret ſententiam Hæreticorum de iuſtitiâ noſtrâ, per quam formaliter iuſti ſumus. Sed iuſtitiam Chriſti, ſeu quæ in Chriſto eſt, nemo Lutheranorum & Caluiniſtarum (imò nemo noſtrûm) facit, vt per ſe patet. Apprehendere enim per fidem iuſtitiam Chriſti, tanquam pro homine exhibitam, non eſt facere iuſtitiam Chriſti, ſeu quæ in Chriſto eſt; ſicut nec apprehendere ſapientiam eiuſdem, eſt eam facere; & in vniuerſum loquendo, apprehendere obiectum, non eſt facere illud: & hæc apprehenſio, non eſt verè iuſtitia, ſed fides; vt per ſe patet. Igitur iuſtitia Chriſti, non facit nos formaliter iuſtos, ſed ea, quam nos facimus cum auxilio illius; imò & Aduerſarij debent concedere, iuſtitiam Chriſti, obiectiuè nos tantùm, ſeu vt obiectum, facere iuſtos. Fidem verò noſtram iuſtitiæ Chriſti, formaliter hoc facere.

Probatur ſecundò. Nullum ex ſuis Sectis Aduerſarij poſſunt proferre, nec hactenus protulerunt verè ſanctum, & iuſtum hominem. Atq; vt à primis fidei Reformatoribus ordiamur, non Lutherum, qui homo meraciſſimus fuit, & obſcœnus in verbis & factis; vt patet ex libris ipſius. Non Caluinũ, qui mendax, & blaſphemus. non deniq; alium. Ergo, &c.

Probatur tertiò. Si nullus vnquam ex Lutheranis & Caluiniſtis fuiſſet iuſtus, nec modò eſſet, neq; poſtea futurus, iuſtitia etiam procul dubio non fuiſſet, nec modò eſſet, neq; poſt futura in Eccleſiâ Lutheranâ & Caluinianâ, vt per ſe patet; nihil enim impediuiſſet, quominus iuſtum aliquem ex illis aliquo ſaltem tempore conſtituiſſet. Atqui vera eſt abſolutè illa conditionalis propoſitio: verum igitur erit & illud, quod ſequitur ex illâ. Minor probatur. Ille iuſtus eſt, vt vidimus ex S. Ioanne, qui facit iuſtitiam. Nemo autem Lutheranorum, & Caluiniſtarum, facit, imò nec facere poteſt iuſtitiam, cùm omnia illorum opera, ſint ſemper peccata; vt videbimus *quæſtione 23.* Ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Ex prima propoſitione, demonſtrata iam, omninò ſequitur Eccleſiam Lutheranam & Caluinianam, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

In verâ enim Chriſti Eccleſia, vt vidimus, debet reperiri, & eſſe, vera ſanctitas & iuſtitia. Ergo, &c.

QVÆSTIO X.

An Eccleſia Lutherana & Caluiniana, ex ſententiâ propriâ, erret in dogmatibus fidei nõ eſſentialibus; & quid inde ſequatur, ſi errat?

Notandum eſt: Non quærimus vtrum poſſit errare Eccleſia Chriſti in talibus, & nihilominus eſſe Eccleſia Chriſti; hoc enim

hoc enim vltro concedunt Lutherani & Caluiniſtæ,& inſuper docent,Pontificiam Eccleſiam fuiſſe Eccleſiam Chriſti : ſed erroribus fœdis , ac manifeſtâ Idololatriâ inquinatam. Lege Caluinum *lib: 4. Inſtitut : cap : 1. §. 1.* & *cap : 7. §. 11. 12. 13. 14. & 15.* Iacobus autem Zaborovvski, Prædicans Caluinianus, *lib: cit: in 1. propoſ: quæſt: 1.* probat etiam Eccleſiam Primitiuam, tempore Apoſtolorum in rebus fidei errâſſe. Hoc poſito

PROPOSITIO I.

ERrat.

Probatur primò. Quia cùm noſtri Pontificij obijciunt Lutheranis & Caluiniſtis aliquos errores in fide, v.g. quòd antè prohibuerint, & docuerint, non eſſe baptizandos paruulos illegitimè natos : hoc reſponſum accipiunt; non mirum eſſe Eccleſiam errare, cùm ſicut Luna non poteſt eſſe ſine macula, ſic nec vera Eccleſia Chriſti in ijs rebus fidei, quæ non ſunt omnibus neceſſariæ ad ſalutem, ſine errore eſſe poſſit.

Probatur ſecundò. Ritus, Cæremonias, & cultus, nullo Dei mandato approbatos admittere, & exercere in Eccleſia, eſt errare in rebus fidei, quamuis non in eſſentialibus. Sed Eccleſia Lutherana & Caluiniana, tales Ritus, Cæremonias, & Cultus, admittit, & exercet. Igitur Lutherana & Caluiniana Eccleſia, errat in rebus fidei non eſſentialibus. Maior, vt videbimus *quæſt: 30.* eſt expreſſe Lutheranorum & Caluiniſtarum, nam hac de cauſâ etiam, Eccleſiam noſtram Pontificiam impugnant, & traducunt. Minor etiam oſtendetur eadẽ *quæſt: 30.*

Probatur tertiò. Annis præteritis arbitrabantur Lutherani & Caluiniſtæ, errorem eſſe in fide, admittere moribundos ad Cœnam Dominicam; quia vt hæc detur talibus, & vni tantùm ſoli, non cœtui alicui, nõ extat in S. Scripturâ, ac propterea Sacro illo commeatu tales priuabant. At nunc contrarium ſentiunt, & faciunt. Igitur vel antè errabant in fide, vel modò. Eligant quod volunt; mihi enim horum vnum ſufficit: vt doceam Eccleſiam illorum verè eſſe eam, quæ vt Luna, menſtrua decremen-

decrementa, & quotidianas Metamorphoſes patitur, & in obſcuro, perpetuis falſitatum circumſeſſa nebulis, deliteſcit.

PROPOSITIO II.

ECcleſia quæ errat in rebus fidei, etiam non eſſentialibus, ſi videlicet errat ſcienter, & cum pertinacia, non eſt vera Eccleſia Chriſti.

Probatur primò. Nulla Eccleſia Hæretica eſt Eccleſia Chriſti. Sed Eccleſia, quæ ſcienter & cum pertinacia errat, etiam in non eſſentialibus fidei, ſi vniuerſa errat, eſt Eccleſia Hæretica. Igitur Eccleſia, quæ errat etiam in non eſſentialibus fidei, ſi vniuerſa errat ſcienter & cum pertinacia, non eſt Eccleſia Chriſti. Maior probatur, tùm ad hominem; quia Aduerſarij propterea Pontificiam Eccleſiam negant eſſe Chriſti Eccleſiam, quia putant illam eſſe Hæreticam. Tùm quia omnes Eccleſias Hæreticas à temporibus Apoſtolorum, vſq; ad Annum 1517. fideles non exiſtimârunt eſſe Eccleſias Chriſti. Tùm quia Eccleſia Hæretica, & non vna, ſed plures, & Eccleſia non Hæretica, ſed vera, facerent vnam veram Eccleſiam Chriſti, quod abſurdiſſimum eſt. Minor verò probatur ex definitione Hæreſis, quæ nihil aliud eſt, quàm error in intellectu eius; qui cùm profiteatur ſe credere Chriſto, aliquem tamen errorem cum pertinacia habet contra fidem. Ita communiter Theologi antiquiſſimi, & SS. Patres. Vide Orig: *in caput 3. epiſt: ad Titum*, ſuper illa verba Apoſtoli: *Hæreticum hominem deuita, &c.* D. Auguſt: *epiſt: 162. & lib: 4. contra Donat: c. 6.* Abſolutè enim loquuntur ſufficere errorem contra fidem, nec reſtringunt ad errorē in eſſentialibus. Et certè à mille annis Hæretici ſemper habebantur illi, qui pertinaciter profitebantur aliquid contra fidē, etiam in non eſſentialibus articulis. Sic definitum eſt, Hæreticos eſſe, qui pertinaciter præſumunt, animam rationalem non eſſe formam hominis, quod tamen non eſt articulus fidei; vt per ſe patet. Sanctus etiam Apoſtolus Ioannes *in 2. epiſt:* dicit;

Digitized by Google

dicit; *Omnem qui recedit, & non permanet in doctrinâ Chriſti* (loquitur autẽ abſolutè, vt patet etiam ex Antecedentibus, & conſequentibus, & non dicit; qui non permanet in doctrina Chriſti in eſſentialibus) *Deum non habere*, & à Chriſtianis *non eſſe recipiendũ in domum, nec Aue ei dicendum, vitandumq́;* tanquam *Hæreticum*; vt docet alter Apoſtolus, *ad Titum cap: 3.*

Probatur ſecundò. Illa Eccleſia, contra quam præualent portæ inferni, nullo modo cenſeri debet Eccleſia Chriſti; vt per ſe patet. Sed contra Eccleſiam, quæ errat ſcienter etiam in non eſſentialibus fidei, præualent portæ inferni; vt per ſe patet. Igitur illa Eccleſia, quæ ſcienter errat etiam in non eſſentialibus fidei, non eſt Eccleſia Chriſti.

Probatur tertiò. Eccleſia, quæ non eſt *columna, & firmamentum veritatis,* non eſt Eccleſia Chriſti, cuius, teſte Apoſtolo, *1. Tim: 3.* hi ſunt tituli proprij. Sed Eccleſia, quæ errat etiam in non eſſentialibus fidei, non eſt columna & firmamentum veritatis, cùm ſit ſubiecta falſitati, & erroribus; vt per ſe patet. Igitur Eccleſia quæ errat ſcienter, etiam in non eſſentialibus fidei, non eſt vera Eccleſia Chriſti.

Probatur quartò. Eccleſia, quæ amittit veram fidem, non eſt vera Eccleſia Chriſti: ſed Eccleſia, quæ errat etiam in non eſſentialibus fidei, ſi vniuerſa errat ſcienter, & cum pertinacia amittit veram fidem. Ergo Eccleſia, quæ errat etiam in non eſſentialibus, ſi ſcienter, & cum pertinacia errat, non eſt vera Eccleſia Chriſti. Maior eſt euidens, quia contra Eccleſiam, quæ amittit veram fidem, præualent portæ inferni, & non eſt *columna, & firmamentum veritatis*; ac proinde non eſt Eccleſia Chriſti. Minor probatur. Quia Apoſtolus, *1. Tim: 1. ℣. 20.* docet, Hymenæum & Alexandrum amiſiſſe fidem, qui tamen circa hunc tantum articulum, vt obſeruant SS. Patres, qui non eſt eſſentialis, nimirum circa ceſſationem legis veteris, errabant; quod patebit magis ex ſequentibus Propoſitionibus. Præterea idem Apoſtolus, *c. 6.* initio, præcipit Timotheo, vt doceat & exhortetur omnes fideles ad obediendum Dominis fidelibus, & infidelibus, ſub quorum iugo ſunt: & non conte-

Digitized by Google

mnant eos, ſed honorent: *ne nomen Domini blaſphemetur*; quæ doctrina, vt puto, non eſt eſſentialis fidei, iuxta ſententiam Lutheranorum & Caluiniſtarum. *Si quis*, tamen, ſubdit Apoſtolus, *aliter docet, &c. ſuperbus eſt, nihil ſciens*: id eſt, non habens veram fidem. quod non eſſet verum, ſi quis errando in non eſſentialibus fidei ſcienter, alia crederet per veram fidem: multa enim ſciret eodem modo, atq; ante errorem. Sed hoc ipſum & ex Luthero & Caluino, *quæſt: 20.* patebit.

PROPOSITIO III.

ECcleſia Lutherana & Caluiniana, non eſt vera Eccleſia Chriſti. Manifeſtè deducitur ex 1. & 2. propoſ.

PROPOSITIO IV.

APud Lutheranos & Caluiniſtas non eſt vera fides habitualis.

Probatur 1. Illa fides, quæ errat etiam in non eſſentialibus, non eſt vera fides: *Vna* enim eſt tantùm vera *fides* habitualis in vnoquoque, teſte Apoſtolo, *ad Epheſ: 4. ℣. 5.* ſicut *vnus Dominus*, & *vnum baptiſma*. Sed fides Lutherana & Caluiniana errat in non eſſentialibus, vt vidimus. Ergo, &c.

Probatur 2. Per Hæreſim, contra quemlibet articulum fidei, etiam non eſſentialem, corrumpitur fides habitualis infuſa. Sed Lutherana & Caluiniana Eccleſia, cum fide articulorum eſſentialium, vt volunt, habent Hæreſes contra alios fidei articulos, nimirum errores ſcienter cum pertinacia, vt vidimus. Ergo, &c. Maior traditur ab Apoſtolo, 1. ad Tim: c. 1. *Quidam*, inquit, *repellentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragauerunt.* per quod verbum amiſſio fidei ſignificatur. Intelligit autem etiam Alexandrum & Hymenæum, vt vidimus propoſitione 2. qui in articulo non eſſentiali errabant. Lege ibi D. Chryſoſt: *Sicut*, inquit, *qui naufragium facit, amiſſis omnibus nudus euadit; ita qui ex fide excidit, nihil iam habet.*

PROPO-

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

APud Lutheranos & Caluiniſtas, nulla eſt vera fides actualis. Patet ex dictis. Cùm enim non habeant fidē infuſam, non poſſunt ſupernaturaliter operari, ſeu credere circa articulos, niſi relinquant Hæreſim. Operantur ergo, ſeu credunt modo naturali, ex proprio inſtinctu & voluntate, & non propter authoritatem Dei reuelatam propter ſe, ſed propter authoritatem Dei reuelantem creditam, vel ex narratione & traditione humanâ, vel ex iudicio & opinione propriâ; quia ita volunt, & opinantur. Sicut Iudæi tempore Chriſti Domini, credebant quidem in verum DEVM, ſed tamen modo naturali, & non verâ fide diuinâ. & propterea dixit illis Chriſtus Dominus, Ioan: 8. *Patrem meum dicitis, quia Deus veſter eſt, & tamen non cognouiſtis eum.*

QVÆSTIO XI.

An fides, ſeu doctrina Euangelicorum, Lutherana & Caluiniana, ex ſententiâ eorundem, faciat homines, qui eam ſectātur, bonos, ſeu quod idem eſt reddantur, vel efficiantur boni per eam; & ſi non, quid inde ſequatur?

PROPOSITIO I.

NOn facit homines bonos, ſed malos, idque ex ſententia propria ipſorummet, qui talem doctrinam profitentur.

Probatur primò authoritate & teſtimonio ipſorum Patriarcharum huius vtriuſque Sectæ. Lutherus enim in Poſtillâ domeſticâ Ienæ impreſſâ, *Concione 2. 1. Dominicæ Aduentus*, ita de hac re ait: *Mundus ex hac doctrinâ*, (nota particulam, *ex hac*, quæ cauſalis eſt ex modo loquendi; loquitur autem de doctrina Euangelicâ Lutheranâ,) *quotidie redditur deterior. Iam homines ſinguli*, (nota particulam hanc, *ſinguli*, igitur & Lutherus) *ſeptenis diabolis obſidentur, cùm ante* (quando adhuc Papiſtæ fuerunt) *vnico tantum diabolo obſeſſi fuiſſent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tàm ſplendida Euangelij luce* (egregiam certè lucem? tenebras infelix Apoſtata dicere debebat) *ſint auariores, callidiores, iniuſtiores, crudeliores, proteruiores, multò deniq; deteriores, quàm prius in Papatu fuerant.* Ingemiſce Luthere, & exclama: *Oleum & operam perdidi.* Si enim ſub tuâ ferulâ tàm inſolentes diſcipuli tui, quid te cuſtode ſubmoto, & rudentibus inferni iam pridem detracto in Tartarum, de ijs ſentiendum? Non diſſimilia habet *Tom: 6. Germ: Ienen: in explan: Pſal: 101. fol: 162. & 163. & in Comment: Ioan: 15. tom: 4. Germ: Vitemberg: fol: 220. & 221.* Quin & de ſeipſo fatetur, *tom: 5. Lat: Vitember: in Comment: ad Gal: 1.* Sanctiorem ſe fuiſſe in Monachatu, quàm eſſet cùm Apoſtata viueret: ſe in Papatu veram caſtitatem ſeruâſſe, paupertatem, obedientiam, deditum fuiſſe ieiunijs & orationibus: modo autem, vt ait *tom: 1. epiſt: Lat: Ienæ editarum, epiſt: ad Melanchtonem*, feruere libidine, pigritiâ, ocio, ſomnolentia, & ab octo diebus nihil orare. En in qualem Sardanapalum, aut Epicuri de grege porcum, hunc nitidum curata cute prophetam, Medea Hæreſis transformauit. Bellas ſanè quinti Euangelij metamorphoſes. Caluinus etiam de ſuis Caluinianis ſic ſcribit: *in Comment:* Dan: 11. ℣. 24. *In exiguo illo numero, qui ſe ab Idololatrijs Papatus ſubduxerũt, maior pars plena eſt perfidiâ & dolo.* Præclarum quidem zelum ſimulant, ſi tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus. *In Comment: verò, in c. 1. epiſt: 2. D. Petri*, plus adhuc dicit: *Ex Euangelicis vix decimus quisque eſt*, (Nota) *qui alio fine nomen Euangelio dederit, quàm vt ſolutius in omnẽ laſciuiam diffluеret.* Sed quid miratur iſta Stigmaticus, & ille alter Apo-

Digitized by Google

ter Apoſtata? imò cur propter hæc queritur etiam vterque de ſuis? an enim obliti ſunt, quod non ſemel ſuis prædicârunt, ſufficere videlicet hominibus ad ſalutem, iuxta verbum Dei, ſolam fidem, maximè illam quâ credant, ſibi applicatam eſſe iuſtitiam Chriſti: eſto ſint ſceleratiſſimi, & continuò vitam ducant flagitioſiſſimam. Item fidelibus non imputari à Deo peccata, & venialia illis eſſe, hoc eſt digna venia. Cur ergo iſti eis imputant? cur eos damnant? & annon ipſi per Euangelium, & doctrinam ſuam, iuxta quod illam interpretabantur, & prædicabant, omnia repagula honeſtatis & virtutis amouerunt, & ſuſtulerunt, omnemq; licentiam viuendi permiſerunt, docentes; *Legem Dei eſſe impoſſibilem ſeruatu, nec ab vllo hactenus quantumuis Sancto ſeruatam eſſe, aut deinceps ſeruari poſſe*; vt oſtendit Crucius *10. monito publico.* Idem quoq; docuit & Chriſtophorus Krainski, *in Catechiſmo Polonico.* Item: *Fidem ſolam ſufficere ad ſalutem, ieiunia, mortificationes carnis, & Confeſſionem peccatorum, eſſe carnificinam, & deliramentum Pontificiorum: nullam ſatiſfactionem pro peccatis eſſe neceſſariam: bona opera eſſe impoſſibilia*; vt videbimus infra. *Decalogi obſeruationem ad fideles, ſeu Chriſtianos, non pertinere, ſed ad Iudæos.* Ita Lutherus *Serm: de Moyſe*; vel *tom: 5. Germ: Vitemberg: in Comment:* Exod: 20. *Quod etiam*, inquit, *textus ipſe cogit aſſerere, qui Hebræos ſolùm ex Ægyptiaca ſeruitute eductos atteſtatur.* En quam latam, hic Antichriſti Prodromus, ad ſuperos (inferos dicere debueram) viam ſternit. Deniq; *DEVM eſſe authorem peccatorum, quæ à nobis fiunt*; vt oſtenditur ex Caluino, & alijs eodem *monito 10.* & nos videbimus *quæſt: 20.* quibus adde & Lutherum, qui *lib: de ſeruo arbitrio, & art: 36. apud Roffen:* docet, *illud velle, quo Iudas voluit prodere Chriſtum, opus DEI fuiſſe. & non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere.* Notandum & illud ex Caluino, *lib: 1. Inſtit: c. 18. §. 2. Homines non ſolùm permiſſu, ſed ex voluntate DEI peccare.* Lepidius poterant dicere aliquid, ſtolidius nihil. Superſedeo à teſtimonijs aliorum Lutheranorum & Caluiniſtarum, ad probandam propoſitionem. Sufficit enim eorum, quos iſti Euangelici fuiſſe Reformatores Eccleſiæ Chriſti, Thraſonicè magis quàm verè, iactant. Qui tamen plu-

men plura ſcire volet, de ſceleribus Euangelicorum; legat Andream Muſculum Lutheranum, *in lib: de Nouiſſimâ die, & de Prophetiâ Chriſti*; quibus locis inter alia hæc habet: *In animis noſtrorum Euangelicorum, omnis virtutis & honeſtatis ſcintillæ ſunt extinctæ, & apud quos nihil iam pro peccato habetur*, &c. *Eoq; nunc Lutheranorum res rediјt, vt ſi quis videre cupiat, magnam turbam nebulonum, atheorum, vſurariorum, & decipientium, ei adeunda ſit ciuitas aliqua, in qua Euangelium prædicatur, ibi cateruatim id genus hominum inuenitur.* Ingemuiſtis? num Machaon hic tetigit vlcus? Legatur & Maior in Oratione, quam de hac re perorauit: *Obјciunt*, inquit, *nobis Papiſtæ, ſcandala, & diſſenſiones. Ingenuè fateor talia eſſe, vt ſatis defleri nequeant: fateor quoq; ſimplicia corda ita his tentari, vt dubitent, an vera Eccleſia Dei vſpiam adhuc ſuperſit.* Præclarum acroama, dignum quod ab iſto tibicine, ad cœnam Lutheranam decantetur. Legatur & Ioannes Buchenhagius, vnus ex recentioribus Sectæ Euangelicæ, *in 1. lib: Reg: c. 4. Confidimus*, inquit, *in arâ, ad opera dico, licet non Papiſtica, tamen ad opera putantes nos in hoc Chriſtianos, quòd baptizamur Germanicè, ſumimus Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie, comedimus carnes diebus ieiuniorum; Clerici ducimus vxores, contemnimus cæremonias, cæterum nos ipſi nihil habemus fidei atque charitatis.* Itanè? Lutheranis & Caluiniſtis iam nec *ara*, nec *fides*? Dij meliora. Deniq; videatur Eraſmus Sarterius in Lutheri patria Superintendens, *in lib: de diſcipl.* vbi dicit: *Fieri neceſſe eſt, vt libidines inter nos vigeant, cùm adulterium & fornicatio vix pro peccatis habeatur.* Vt autem ſciamus hæc omnia peccata oriri ex fide, & doctrina Euangelica, docet clarè præter Lutherũ; vt vid: etiam Iacobus Andreæ Smidelinus Prædicans, *in 4. Conc: de Planetis*; vbi poſtquam dixit plura & maiora peccata patrari ab Euangelicis, quàm à Turcis, & nolle illos mores ſuos emendare: ſubdit oriri hæc hinc: *Quia*, inquit, *didicimus ſolâ fide in Chriſtum homines ſaluari, ac propterea bona opera relinquimus: & tamen adhuc miſeri perſuademus nobis, nos bonam & rectam fidem erga Deum in cordibus habere.*

Probatur ſecundò propoſitio experientiâ. Eo ipſo enim, quod aliquis amplectitur dogma Euangelicum, ſtatim reddi-

tur peior

Digitized by Google

tur peior & nequior. Nec hactenus inuentus eſt vllus apud Lutheranos & Caluiniſtas, cui à virtute ſuffragium, aut à Sanctitate calculus adhæſerit.

PROPOSITIO II.

SEquitur fidem, ſeu doctrinam Lutheranam & Caluinianam eſſe malam, & non eſſe fidem Chriſtianam veram; quippe quæ, ex ſententia ipſorummet, vi ſuâ facit homines, qui eam amplectuntur malos. Patet ex dictis.

Ex dictis colligitur. Fidem veram ex ſententia Lutheri & Caluini, imò & ſequacium quorundam, ſine bonis operibus non ſufficere ad ſalutem, cuius contrarium alibi apertè ijdem docent, & probant; vt videb: *quæſt: 19.*

QVÆSTIO XII.

An Eccleſia Lutherana & Caluiniana, ex ſententia propria, in expreſſam Idololatriam inciderit?

REſpondeo. Affirmando.

Probatur. Eccleſia quæ ſcienter adorat puram creaturam, incidit in expreſſam Idololatriam. Sed Eccleſia Lutheranorum & Caluinianorum, ſcienter adorat puram creaturam: Igitur Eccleſia Lutheranorum & Caluiniſtarum, incidit in expreſſam Idololatriam. Maior eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum, propterea enim nos Pontificios plenis buccis affirmãt incidiſſe in expreſſam Idololatriam, quia putant nos adorare puram creaturam: nimirum imagines Chriſti, vel Sanctorũ. Minor verò probatur. Eccleſia Lutherana & Caluiniana adorat, cùm

rat, cùm audit proferri nomen IESVS; & id faciendum eſſe docet, maximè cùm S. Paulus *c. 20. ad Philippenſes*, hoc fieri præceperit, inquiens: *In nomine IESV omne genu flectatur, &c.* atqui nomen IESVS eſt pura creatura; vox ſcilicet formata à nobis in aëre. Igitur Lutherana & Caluiniana Eccleſia adorat purã creaturam, idq; ex propria ſententia. Neq; dicant ſe non adorare nomen ipſum IESVS, nec hoc intelligere Apoſtolum, ſed metonymicè IESVM ipſum, non verò vocem hanc ſignificantem, factam in aëre ex labiorum compreſſione, & dilatatione, & conſtitutam ex ſyllabis & apicibus. Contra enim eſt; nam quamuis Apoſtolus non ſeparat IESVM à nomine ipſius, tamen non ſoli IESV, ſed & nomini ipſius hanc reuerentiam vult exhiberi: & non ſolum IESVM, ſed & nomen eius extollit, quod manifeſtè colligitur ex ipſo textu. Loquitur enim apertè Apoſtolus de nomine IESV, quod donatum eſt IESV propter humilitatem, quâ *humiliauit ſeipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Et ita explicatus fuit ſemper hic locus Apoſtoli, in Eccleſia Chriſti, vt in fine cap: videbimus. Quod ſi dicant ſe reuerentiam tantùm quandam exhibere nomini IESVS, ſed non cultum diuinum, ſiue qui Deo debetur, ac proinde non adorare puram creaturam; verba ferunt inutilia, nam ſciunt hoc ipſum omninò, & verè reſponderi ipſis, à noſtris Catholicis, cùm eis obijciunt Idololatriam, idcirco, quòd reuerentiam exteriorem exhibeant imaginibus, & tamen nihilominus condemnant nos Idololatriæ. Nec quærant hoc aliud effugium, ſe voci quidem, verbo, vel nomini illi, ſed non ſoli reuerentiam exhibere, verùm ſimul & ipſi Chriſto IESV ſignificato per illud nomen (qui non eſt pura creatura) ſeu quod idem eſt, nomini, habito præcipuo reſpectu, ad Diuinam Chriſti perſonam, eiuſq; merita. Non enim effugiunt vim argumenti, nam hoc ipſum eis noſtri Catholici reſpondent; ſe videlicet non exhibere reuerentiam ligno, picturæ, aut coloribus, nec imagini abſolutè, ſed ipſi Chriſto, qui exprimitur, ac repræſentatur per illam imaginẽ:

& tamen

Digitized by Google

& tamen Aduerſarij nos Idololatras vocant. Et certè ſi adoratio eſt, illaq; prohibita, ac conſequenter Idololatrica, etiam hoc pacto reuerētiam exhibere imagini Chriſti, multò maior erit, exhibere reuerentiam nomini IESVS; quandoquidem tale nomen ſimiliter eſt pura creatura: & imago etiam aliqualis Saluatoris, imò vilior in ſubſtantia, imagine eiuſdem coloribus expreſſa; repræſentat enim & exprimit ipſum Saluatorē, ſeu IESVM. Et propterea iam moderni non pauci Caluiniſtæ, conuicti hoc argumento; tùm priuatim, vt teſtatur Renatus Benedictus, Doctor Sorbonicus, in expoſitione Circumc. tùm publicè, vt patet ex Conſtit: Helbingæ factis, Anno 1614. quæ omnes & nunc practicantur, non ſolùm Berlini in Marchionatu, ſed etiam Stetini; ne nomini huic Sanctiſſimo reuerentia exhibeatur: vel ſaltem quod tutius eſt, monent Miniſtros, vt caueant ſibi, ne hoc nomen in Concione proferant; ſed loco illius vtantur his alijs, Chriſtus, Saluator, vel Seruator, vt docet idem Renatus. Sed ſi libet audiamus etiam Lutheranum, reprehendētem idcircò Caluiniſtas: eſt is Albertus Grauerus, *in Præfatione, ad Abſurda, abſurdorum, abſurdiſſima, Caluiniſtica abſurda. pag: 12. In Concione,* inquit ille, *Amlingus Caluiniſta, adeò pius ac deuotus erat, vt præ nimiâ deuotione, etiam in templo, quando nomen IESVS exprimebat, caput non aperiret, qui tamen hypocauſtum nobilis ingrediens, apertum ſemper caput habebat.* Non pauci Caluiniſtæ de hac reuerentia, quæ nomini IESVS exhibetur, ita palam teſtantur: *Nudare caput, genu flectere, quum IESVS nominatur, ſuperſtitioſum eſſe, imò magicum; & ridiculi ſunt Sorbonici Sophiſtæ, qui ex illo Apoſtoli: In nomine IESV flectatur omne genu; flectendum eſſe genu inferunt, quoties nomen IESVS pronunciatur.* Ergonè ex illo Apoſtoli inferre debebant, non flectendum? Non audebant; non enim illis adeò frons effrons, & attrita fuerat. Fuiſſe autem hunc morem ſemper in Eccleſia Chriſti, vt homines, audito, lectoué IESV nomine, capitis inclinatione, aliaué honoris teſtificatione, auguſtiſſimi Nominis maieſtatem venerarentur, habito quidem præcipuo reſpectu ad Diuinam Chriſti Perſonam, eiuſq; merita; ſed nonnullum tamen interim ipſi etiam

Digitized by Google

Nomini, tanquam cuidam, rerum Diuinarum imagini, honorem tribuerent; teſtis eſt tota antiquitas. Legi poteſt Ambroſius *lib: 6. Exam: c. 9.* Chryſoſtom: *ad Philip: 2. & hom: 9. ad Coloſ.* Theodoret: Bernardus *ſuper Cãtica.* Gregorius X *in Concil: Lugd.* Alphonſus Abulenſis *ante quæſt: 7. ſuper c. 20. Exod.* vbi ſic habet: *Communis eſt & laudabilis conſuetudo Eccleſiæ, magis honorare iſtud nomen,* IESVS, *quam nomen Deus: vnde audito nomine* IESVS, *deuoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt.* Athanaſius *lib: de Incarn: Verbi,* vbi ſoli Crucis ſigno, & ſoli etiam nomini Chriſti, vim pellendæ incantationis, tribuit: *Veniat,* inquit, *qui iſtorum dictorum, experimentum capere velit, & in ipſis præſtigijs dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis magiæ, vtatur ſigno crucis, ab ipſis deriſo, nomenq́; Chriſti ſolùm inuocet, & videbit quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ & veneficia irrita iaceant. Quis igitur & quantus hic Chriſtus, qui ſui Nominis vocabulo,* (Nota) *præſentia omnia obruit, & ocioſa reddit.* Denique Auguſt: *lib: 3. Confeſ: c. 4.* qui ſibi etiam dum Manichæus eſſet, hoc nomen ſemper in veneratione & delicijs fuiſſe teſtatur: *Hoc Nomen,* inquit, *Saluatoris mei, filij tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum, piè biberat, & altè retinebat; & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literatum & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Concludo. Qui nomen IESV veneratur, in illo ipſum IESVM veneratur; quippe, cùm ipſum nomen nihil aliud ſit, quàm ſignificati imago; vti S. Athan: *Oratione 4. contra Arianos,* dicit, de imagine Regis, reſpectu prototypi, ſeu ipſius Regis. & S. Baſil: *de Spiritu 1. c. 18.* *Nominis,* inquit, *IESV honor, ad ſignificatum illius tranſit, id eſt ad* IESVM. Verum Eccleſiam Caluinianam, ex alio etiam capite in apertam Idololatriam incidiſſe, patebit *quæſt: 24.*

QVÆSTIO XIII.

An Lutherani & Caluiniani ſint Chriſtiani, ex propriâ ſententiâ?

RESpondeo. Non ſunt.

Probatur

Digitized by Google

Probatur 1. Quia ita aſſerunt Lutherani de Caluiniſtis, & hi viciſſim de illis; vt vidimus *quæſt: 1.*

Probatur 2. Idololatræ non ſunt veri Chriſtiani. Tales autem ſunt Lutherani & Caluiniſtæ proprio iudicio; vt vidimus *quæſt: præced.* Ergo, &c.

Probatur 3. Qui non credunt verum Chriſtum, talem videlicet, qualis traditur nobis à S. Scripturâ, non ſunt Chriſtiani. Sed Lutherani & Caluiniſtæ non credunt verum Chriſtũ, talem, qualis nobis traditur à S. Scripturâ. Igitur Lutherani & Caluiniſtæ non ſunt Chriſtiani. Maior eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum, & certè fides vera in Chriſtum verum, facit hominem Chriſtianum, hoc eſt virtutibus Chriſti, in vita & moribus conſpicuum. Minor probatur. Qui admittunt plures mediatores ad Deum per interceſſionem, non credunt verum Chriſtum, talem ſcilicet, qualis iuxta ſententiam Lutheranam & Caluinianam, traditur à S. Scriptura; hoc eſt, qui *vnus* ipſe tantum ſit *Mediator* ad Deum pro nobis per interceſſionẽ. Sed Lutherani & Caluiniſtæ admittunt plures mediatores ad Deum per interceſſionem. Igitur Lutherani & Caluiniſtæ non credunt verum Chriſtum, talem ſcilicet, qualis traditur à S. Scriptura. &c. Maior eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum; hac enim propoſitione vtuntur contra nos, eò quòd oremus Sanctos, nos vti pluribus Mediatoribus ad Deum, ac conſequenter non credere verum Chriſtum. Et tali argumento vſus eſt etiam Symmachus recenter, in ſua reſponſione, contra Monita Crucij. Minor verò demonſtrata eſt à nobis, *in quæſt: 3.* Concluſio igitur negari non poteſt.

Probatur 4. Caluiniſtæ ex alio etiam capite non credunt verum Chriſtum; talem enim credunt, qui non eſt hypoſtaticè vnitus Verbo æterno; vt fuſè oſtendit Albertus Grauerus Lutheranus, *loco ſup: citato:* quo loco etiam oſtendit eos non credere verum Deum. quod idem præſtat Ambr: Iaſcius in ſuis *Virgis.*

Probatur 5. Qui non eſt natus ex Deo, nec cognouit Chriſtum, non eſt Chriſtianus, vt per ſe patet. Sed Lutherani

 & Cal-

Digitized by Google

& Caluiniſtæ non ſunt nati ex Deo, nec cognouerunt Chriſtũ: hoc enim illis tantum competit, teſte S. Ioan: *epiſt: 1. c. vltimo, & c. 3. ℣. 6.* qui faciunt iuſtitiam; quod nemo Caluiniſtarum, aut Lutheranorum præſtat, vt vidimus ſup. & *quæſt: 26.* videbimus. Igitur, &c.

Probatur 6. Nulli Hæretici, ſunt veri, ſeu re ipſa, Chriſtiani. Omnes Caluiniſtæ ſunt Hæretici, non ſolùm ex ſententia Eccleſiæ Romanæ, ſed & Lutheranorum, vt vidimus ſupra; imò ex propria. Errant enim in non eſſentialibus fidei, vt oſtẽſum eſt *quæſt: 10.* & quod plus eſt, in eſſentialibus; vt videbimus *quæſt: 19.* (& idem dico de Lutheranis.) Igitur omnes Caluiniſtæ (& Lutherani) ex propria ſententia, non ſunt veri, ac re ipſâ Chriſtiani. Minor eſt demonſtrata ſupra. Maior patet ex *quæſt: 10.* & probatur authoritate SS. Patrum, ſeu totius Eccleſiæ, ſtatim poſt tempora Apoſtolorum. Tertullianus antiquiſſimus Doctor, ſic de hac re ait, lib: de Pudicitia: *Si Hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt.* Et lib: de Præſcript: *Paſtor bonus Chriſtus: ouis propriè Chriſtianus, & ideò non intelligendus ille Chriſtianus, qui ab Eccleſia grege aberrauit.* Tales autem ſunt Hæretici. Auguſt: lib: 5. contra epiſt: Parmen: c. 7. *Hæreticus dealbatus tantùm eſt nomine Chriſtiano.* Et in Enchirid: ad Laur: *Chriſtus apud quoſlibet Hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, reuera non eſt.* Athan: Orat: contra Arianos: *Qui ab Eccleſia Chriſti tranſeunt, nomen Chriſtiani derelinquunt.* Non diſſimile quid inuenitur apud Cypr: *epiſt: ad Iubaranum.* Et *lib: 4. ep: 2. vel 52. & lib: 1. epiſt: 6. vel 76.* vbi Hæreticos vocat *Antichriſtos.* & Ambr: *lib: 7. c. 11. & Serm: 52.* ſupra illa verba, *ad Timot: 3. Hæreticum deuita*, ſciens quia ſubuerſus eſt; *quia ſcilicet*, inquit, *ipſe ſe de Eccleſia proijcit, nullo impellente. Nam cùm alij criminoſi proijciantur ex conſortio Chriſtiano; Hæreticus præueniens ſententia ſua voluntatis abijcitur.* denique Hieron: *contra Lucifer.* His adde Imperatores Orthodoxos, Theodoſium, & Valentinianum, qui decreto ſuo ſanciuerunt gregales Neſtorij, damnato ipſo, tanquam portentoſæ ſuperſtitionis authore, nota nominis eius inurendos, (hoc eſt vocandos Neſtorianos) ne Chriſtianorum appellatione abuterētur;

id eſt,

Digitized by Google

id eſt, ne ſe vocarent Chriſtianos, nec ab alijs tali nomine appellarentur. Igitur & vos Caluiniſtæ & Lutherani, quia participes eſtis portentoſæ ſuperſtitionis Caluini & Lutheri; non Chriſtiani, ſed Caluiniani & Lutherani meritò dicimini: vt quorum ſcelus (vt habet idem decretum Imperatorum) in deſerendo Deo, & eius Eccleſia, imitati eſtis, eorum quoque vocabula ſortiamini.

Septimò & vltimò probatur propoſitio. Chriſtianus, quantùm poſſibilè eſt, debet eſſe ſimilis Chriſto Deo, per omnes virtutes: ſed hoc Lutheranis & Caluiniſtis impoſſibile eſt. Ergo Lutheranis & Caluiniſtis non eſt poſſibile eſſe Chriſtianos. Minor eſt ipſorum: cùm omnia opera eorum ſint, & non poſſint eſſe, niſi peccata; vt infra. Maior verò eſt Baſilij, *in Hexam: hom: 10.* vbi Chriſtianiſmum, à quo Chriſtiani, definit eſſe ſimilitudinem Dei, quantùm poſſibile eſt per omnes virtutes. Non diſſimile quid inſinuat Macarius, Senior Ægyptius, hom: 43. *Chriſtiani*, inquit, *debent eſſe ſimiles lucernis habentibus in ſe oleum, hoc eſt, fructum iuſtitiæ.* Deniq; Chryſoſt: Orat: 5. contra Iudæos: *Propterea Chriſtianus es, ideòq; hoc nomen accepiſti, vt Chriſtum imiteris, eiusq; legibus, operum executione, pareas.* Hoc autem Lutheranis & Caluiniſtis, teſtimonio ipſorum, impoſſibile eſt; nullum enim opus illorum eſt, vel poteſt eſſe fructus iuſtitiæ, ſed iniuſtitiæ; neq; legem Dei ipſi ſeruare poſſunt, vt videb: *quæſt: 25.* De profeſſione Chriſtiani, quid ſibi illa velit, legi poteſt Gregor: Niſſenus, *epiſt: ad Hermonium.*

QVÆSTIO XIV.

An in Eccleſiâ Lutheranâ & Caluinianâ, ſit vera fides iuſtificans, ſaltem vnius alicuius articuli eſſentialis?

RESpondeo. Non eſſe.

Digitized by Google

Probatur 1. Quia in Eccleſia Lutheranâ & Caluinianâ nulla eſt vera fides, neq; actualis, neq; habitualis; vt oſtendimus *quæſt: 10.* Ergo, &c.

Probatur 2. Fides quæ eſt in homine, quamuis ſit donum Dei, vel infuſum nobis, vel cũ auxilio Dei ſupernaturali productum in nobis, eſt pura creatura; vt per ſe patet. Nulla autem pura creatura poteſt iuſtificare hominẽ, vt Lutherani & Caluiniſtæ docent, & Pontificios oppugnando, argumentantur.

Probatur 3. Opus bonum (quod argumentum eſt Petri Bertij Caluiniſtæ, *in epiſt: diſcep: cum Sibrando & Conr.* Vorſtij *lib: 1. de 100. erroribus.* ac Luberti, Mollium Caluiniſtarum, contra Rigidos Caluiniſtas, & contra Lutheranos) non iuſtificat per vos. Fides eſt bonum opus: Ergo fides non iuſtificat per vos; ac proinde non eſt in Eccleſia Lutherana & Caluiniana, niſi in ea, quæ iam in Papiſmum, quoad hunc articulum, deſciuit fides iuſtificans.

Probatur 4. Quia nec Caluiniſtæ cum Lutheranis, nec ipſi inter ſe conueniunt, quænam fides iuſtificet. Ergo, &c. Antecedens patet: Nam Lutherani dicunt, fidem, quæ iuſtificat, eſſe delebilem, & quæ certos facit de ſalute. Caluiniſtæ verò Rigidi, vt quæſt: ſequenti videbimus, docent: *Iuſtificamur fide indelebili; fide, quâ certi ſumus de noſtrâ prædeſtinatione. alia fide impoſſibile eſt ſaluari.* Molles autem Caluiniſtæ in Belgio aſſerunt: *Fide iuſtificamur, fide delebili; fide, quâ tamen de prædeſtinatione certi non reddimur.* Ecce quomodo iſti concordes in eſſentiali articulo, qui inter ſe ita digladiantur? quomodo interpretatione ſuâ non addunt S. Scripturæ: *Delebili, indelebili, &c.* Et tamen Euangelici ſunt, verbum Dei purum, putum, profeſſi. Quis iſtis credet Bambalionibus?

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XV.

An Caluiniſtarum Secta diuiſa ſit in eſſentialibus fidei?

PROPOSITIO I.

ANte aliquot annos in duas partes hæc Secta eſt diuiſa in Belgio; hoc eſt, in Geldria, Hollandia, & Friſia, cum annexis regionibus. Manifeſtè id conſtat ex libris illorum, quos vna contra aliam edidit, & DD. Statibus Hollandiæ obtulit. Item ex Decretis, Proſcriptionibus, & expulſionibus. Vna enim aliam ſubſidio Procerum, & præcipuorum in Ciuitatibus, quos in ſuam ſententiam traxit, expulit: deniq; ex cædibus. In Synodo enim, ad quam vtraque pars conuenerat Anno 1616. menſe Octobri, Lugduni Batauorum, ad ſanguinis effuſionem ventum eſt.

PROPOSITIO II.

VNa pars eſt Mollium Caluiniſtarum, altera Rigidorum. Item, vna Remonſtrantium; altera Contraremonſtrantium: deniq; alij dicuntur Arminiani, ab Arminio Miniſtro; alij Gummerriſtæ, vt ipſi ſe inuicem compellant.

Patet ex prima & ſecunda Remonſtrantia Rigidorum.

PROPOSITIO III.

ARminiani pulſi ſunt à Gummerriſtis, ex Ciuitatibus, Neomago, & Amſtelrodamo. Gummerriſtæ verò

Digitized by Google

riſtæ verò ab Arminianis; Roterodamo, Brielo, Herlenio, Alchmariâ, Schonhouiâ, Hornâ, Campis, &c. Rigidi etiam Magnæ Britanniæ Regis, opem, contra ſuos fratres Molles, implorârunt.

PROPOSITIO IV.

HÆ duæ diſſectæ partes, diſſentiunt inter ſe in eſſentialibus articulis fidei.

Probatur primò ex Catalogo, quem DD. Statibus Hollandiæ, in prima Synodo obtulerunt Rigidi Caluiniſtæ, contra Molles, & contra iſti, reddentes rationem de obiectis.

Primò igitur Rigidi docent: *Eſſentiam Dei eſſe ſpiritualem, infinitam: Deum vbiq; præſentem, perfectè ſapientem, & immutabilẽ.* Contrarium docent Molles, vt monent Rigidi in ſecundâ Remonſtrantia: *Eſſentiam* videlicet *Dei, poſſe eſſe corpoream, compoſitam: non eſſe Deum infinitum, neq; vbiq; præſentem ſecundum eſſentiã, ſed tantùm ſecundum virtutem; nec præſciuiſſe omnia & ſingula, quæ fiunt in mundo; & tantùm ſuſpicari quædam: voluntatem quoq; eius eſſe mutabilem.* Ita Vorſtius, Statius, & alij Caluiniſtæ: *quæ*, inquiunt Rigidi, *ex publicis ipſorum ſcriptis, parati ſumus clarè & plenè probare. Sunt autem iſta*, inquiunt, *nouitates in Eccleſia Dei, & quæ non tantùm cum S. Scripturâ, ſed etiam cum vnanimi conſenſu omnium Eccleſiarum, tàm veterum, quàm recentium Orthodoxarum, pugnant.* Fides autem veri Dei, eſt articulus eſſentialis, & neceſſarius ad vitam æternam. Alius autem verus Deus eſt apud Rigidos, alius apud Molles; imò apud hos nec verus Deus, maximè qualẽ nobis S. Scripturâ proponit, & eſſe teſtatur, vt per ſe patet.

2. Rigidi docent: *Scripta veteris & noui Teſtamenti, ſancta, & diuina ſcripta eſſe, quæ Sancti Dei viri elocuti ſunt diuino afflati ſpiritu.* Contra docent Molles: *Scriptores horum ſcriptorum in nonnullis potuiſſe errare*, (quod acceperunt ex Caluino & Iunio Caluiniſta) *poſſeq; fideles dubitare de αὐτοπιστίᾳ S. Scripturæ.* quo errore admiſſo, ruit tota fides.

Digitized by Google

3. Rigidi docent: *Deum vnum eſſe eſſentiâ, & trinum ab æterno in Perſonis; hoc eſt, diſtinctum incommunicabilibus proprietatibus.* Molles verò docent: *Deum eſſe trinum in eſſentia, quia ſunt in eo tres res, quarum ſingulæ habent ſuam eſſentiam.* Qui error eſt contra articulum eſſentialem fidei Trinitatis.

4. Vna pars docet: *Spiritum S. cum Patre & Filio, eſſe æternum, verum Deum.* Alia docet: *Spiritum S. eſſe virtutem, quam Deus diffudit à ſe, cùm incepit creare mundum:* quæ atrociſſima hæreſis eſt circa eſſentialem articulum.

5. Molles docent: *Deum non eſſe authorem & reum malorũ, quæ in hoc mundo accidunt:* & benè. Contra docent Rigidi: & ita ipſe Galuinus, Beza, & alij; vt videre eſt in Monitis Crucij; quod eſt abominanda blaſphemia.

6. Molles docent: *In homine remanſiſſe poſt lapſum liberum arbitrium.* Contra docent Rigidi, & volunt; *Hominem neceſſariò propenſum eſſe ad malum:* qui error quoq; grauiſſimus eſt.

7. Rigidi docent: *Chriſtum plenè ſatisfeciſſe Iuſtitiæ Dei pro peccatis noſtris, per acerbiſſimam paſſionem & mortem.* Molles verò tradunt: *Satisfactionem Chriſti pro peccatis noſtris, non aliam ex Scripturis aſtrui poſſe, quàm quòd Chriſtus nobis peccatoribus annunciauerit hanc Dei liberalitatem, quòd Deus decreuerit reſipiſcentibus condonare, non accepta pro ijs plena ſatisfactione.*

8. *Veram fidem & iuſtificationem conſiſtere in credendo, & in certâ fiduciâ, quâ quis credit ſibi quoq; remiſſa eſſe peccata* docent Rigidi, ab vno quouis teneri oportere; *neminem propter peccata ſua repulſam in ſalute æternâ obtinendâ paſſurum:* vt video ex arcanis Trinitatis iſti fata ſua vident. Contra docent Molles: *Fide iuſtificamur, ſed fide delebili, & quâ de Prædeſtinatione certi non reddimur.*

9. Rigidi aſſerunt: *Solam fidem iuſtificare, quia nulla poſſumus edere bona opera, quæ non ſint carnis noſtræ vitijs polluta, & peccatis inquinata, ac proinde ſupplicio, pœnaq; æternâ digna:* quæ ſententia vt impia, ita Diris omnibus, ac toti Erebo deuouenda. Contrarium docent Molles.

10. Rigidi docent: *Duo tantum eſſe Sacramenta Noui Teſtamenti, nimirum Baptiſmum, & Cœnam Domini.* Molles verò, tria:

Tertium enim eſt; Lotio pedum. Rem certè acu.

11. Rigidi affirmant: *Infantes fidelium eſſe baptizandos.* Molles contra dicunt: *non eſſe quemquam baptizandum, niſi qui prius doceri poſſit.* fortaſſis propter illud, Matth: 28. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos.* Reſpondete Rigidi: Scriptura eſt, quàm fraterculi veſtri, eodem ouo progeniti, adferunt.

12. Rigidi volunt: *In reſurrectione animas eſſe coniungendas cum iiſdem corporibus, cum quibus vixerunt.* Contra Molles: *Hanc carnem noſtram, quod ad ſubſtantiam attinet, regnũ Dei non poſſeſſuram.*

13. Rigidi affirmant, ad Papatum, vt video, reuerſi: *Animas noſtras poſt hanc vitam, è veſtigio ad Chriſtum caput ſuum aſſumi.* Molles verò: *Hominem poſt mortem vſq; ad diem Iudicij dormire, etiã quoad animam.* Verè illi ipſi obdormierunt, cùm impugnando veritatem tam turpiter hallucinati ſunt.

14. Molles præterea docent: *Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus eſſe mortuum.* Rigidi verò volunt: *Tantùm pro paucis obijſſe, iiſq; electis.*

15. Molles, vt Adolphus, Venator, Ameſius, teſte Greuinkkouio in diſſertatione, Alcmariani in declaratione, & alij docent: *Eccleſiam Romanam rectè ſentire, in articulo de iuſtificatione hominis coram Deo, ſeq; conuenire cum illâ.* Contra docent Rigidi.

Mitto alia diſſidia, quæ quamuis ſint expreſſè contra Sacram Scripturam, non ſunt tamen apertè in eſſentialibus: ſuperiora tamen, quæ docentur à Mollibus, appellantur à Rigidis, *Nouitates magni momenti in Eccleſia Dei, contra doctrinam veram, in omnibus articulis, in Confeſſione, & Catecheſi Eccleſiæ Dei explicatam.* Ex quibus manifeſtè colligitur, Rigidos affirmare, diſſentire ab illis Molles, in eſſentialibus articulis, & contra Molles de Rigidis. Idem verò dicere debent vtrique, Lutheranos quoq; diſſentire ab ijs in multis eſſentialibus. Nam Lutherani in aliquibus articulis ſupra poſitis, conueniunt cum Rigidis, in aliquibus cum Mollibus Caluiniſtis.

Reſpondent autem Molles Rigidis, *p. 3.* Sententiam ſuã in dictis articulis non eſſe nouam, reſpectu antiquitatis primitiuæ Eccleſiæ, poſt tempora Apoſtolorum; ſed reſpectũ antiquitatis,

Digitized by Google

quitatis, quæ ab annis 40 cœpit; vnde ſic aiunt: *Quæ ergo hæc nouitas, cui opponitur antiquitas 40. aut plurium annorum? Noſtram verò*, inquiunt, *ſententiam docuerunt Patres, Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, quos Eccleſia primitiua ſemper Orthodoxos Scriptores agnouit.*

Ad iſtos ergo adacti neceſſitate confugitis? cur itaq; etiã in alijs eorum ſententiam non amplectimini? Agnoſcunt ergo Molles, Rigidos eſſe antiquiores illis, 40. annis. Noui igitur ſunt vtrique, nam Mollium fides in eſſentialibus, non fuit ante annos 20. vt docent Rigidi: horum verò ex ſententia Mollium, non fuit ante 60. Neutra ergo eſt vera Eccleſia Chriſti. Arripiant hanc offam Vulturij iſti; & videãt, num ad palatũ.

Probatur ſecundò propoſitio. Rigidi vocant Molles, *Hæreticos, Apoſtatas à fide, Ieſuitas, vel ipſis Ieſuitis deteriores.* Decreuerunt etiam illos non vocandos *fratres.* Igitur diſſident ab ijs in eſſentialibus. Antecedens patet ex Grenuinkkouio Molli Caluiniſta, *in Epiſt: Dedicatoria*, qui queritur de hac re contra Rigidos, ſe quoq; ait, non ſemel ab ijs eadem in triuijs, in tabernis, imò & in Eccleſia pro concione audiuiſſe. Addit expoſtulâſſe ſe ſemel cum præcipuo Miniſtro Eccleſiæ S. Gruteri, Rigido videlicet Caluiniſta, & cætero præsbyterio eiuſdem Eccleſiæ; petijſſeque, vt de ijs controuerſijs poſſet cum illis amicam collationem habere, & tandem poſt multas acerbiſſimas contumelias, hoc reſponſum ab ijs accepiſſe: *Si Turca, vel Iudæus eſſem, poſſe, ac debere me ad colloquium admitti; Hæreticum verò ipſis nequiorem, non audiendum, ſed vitandum ex mandato Pauli.* Ecce Caluiniſtæ Caluiniſtas, aiunt eſſe *Turcis, & Iudæis nequiores?* Quod ſi propria vineta ſic cædunt, quid ſementi Lutheranæ facient? & tamen concordes animulæ concordiam ſimulant. Conſequentia verò probatur. Quia Caluiniſtæ non habent apertè pro Hæreticis, niſi hos, qui errant in eſſentialibus fidei.

Deniq; probatur propoſitio ex ſecundâ Synodo nationali conuocata authoritate Ordinum Generalium in Hollandia, Dordraci, anno 1619. 3. Ianuarij, ad componendas (vt præfert inſcriptio Synodi, & decretum de conuocanda illa) inter diſſidentes, de eſſentialibus articulis fidei, controuerſias, inter

Arminianos videlicet, & Gummerriſtas, Caluinianos vtroſque, in quâ tamen nihil effectum eſt: ſed magis excitatæ lites & odia, & tandem Arminiani condemnati vt Hæretici, non recipiendi ſcilicet in communionem Verbi, Cœnæ, & Baptiſ. vt patet ex Arminianorum, ſeu Remonſtrantium declaratione oblata ab ipſis, eodem tempore in Synodo delegatis Ordinum Generalium; quam refert Laur: Beierlinck, *in tractatu Synodico.* In ea enim declaratione, queruntur illi: Primò, libertatem ſibi fuiſſe præciſam. Secundò, quòd ad componendas lites, non fuerit admiſſa in Synodo, tanquam Iudex, S. Scriptura. Ridiculum certè erat, ſtatuere illum ſolum iudicem, qui nihil aliud pronunciat, præter illud, de quo eſt controuerſia, imò mutus eſt ad contentionem partium; ac proinde rectè fecerunt Contraremonſtrantes. Tertiò, quòd in Synodo, in quâ agebatur de arduis Religionis Chriſtianæ Myſterijs, & de ſalute, ac æternâ damnatione pronunciabatur, Contraremonſtrantes voluerint eſſe, & iudices illorum (imò iudices rerum fidei) & accuſatores. Quartò, quòd in Synodo publicè non auditi, fuerint condemnati, & indigni iudicati, quos Synodus audiat. Concludunt tandem doctrinam Contraremonſtrantium diuinæ veritati, quam ſanguine ſuo filius Dei confirmauit, è diametro contradicere; deniq; errores maximos continere, ac propterea ſe non poſſe obedire illis, & Synodo, ne iram Dei Optimi Maximi incurrant.

QVÆSTIO XVI.

An Lutheranâ Hæreſis, & Caluinianâ, fuerit aliquando in mundo ante Lutherũ & Caluinũ?

PROPOSITIO I.

SI Hæreſis Lutherana & Caluiniana ſumatur totaliter,

Digitized by Google

taliter, quoad omnes errores in fide, quos complectitur Lutheraniſmus, (& idem dico de Caluiniana) non fuit in mundo ante Lutherum & Caluinũ.

Et hoc patet ex *quæſt: 5. & 6.* idq; ibi tantùm intendebamus.

PROPOSITIO II.

SI Hæreſis Lutherana & Caluiniana ſumatur ſigillatim, ſeu ſecundum partiales errores in fide, præcipuos tamen & multos, quos complectitur Lutheraniſmus & Caluiniſmus; fuit illa ante Lutherum, & Caluinum, non tamen eodem tempore, nec ſimul ſecundùm illos omnes præcipuos; deniq; nec ſemper fuit: nam & iſti ipſi errores non fuerunt ſemper, & nec vno eodemq; tempore.

Propoſitio patebit euidenter ex præcipuis Hęreſibus, quas adferam, quæ antiquitùs à vera Eccleſia Chriſti (quod non poſſunt negare Lutherani & Caluiniſtæ) damnatæ fuerunt, & continentur modo in Confeſſione fidei Lutheranorum & Caluiniſtarum. Et tamen iſti Eccleſiam Romanam, docentẽ contrarium, iſtis illorum Hæreſibus damnatis, antiquitus à vera Eccleſia Chriſti, audent impiè condemnare.

1. Hæreſis *Simoniana* fuit, & poſt, *Valentiniana*, damnata antiquitus à vera Eccleſia Chriſti, *per ſolam fidem iuſtificari hominem ſine operibus.* Ita teſtatur antiquiſſimus Doctor Irenæus, *lib: 1. cap: 20.* Hoc idem autem eſt dogma Lutheranorum & Caluiniſtarum; vt patebit ex *quæſt: 19.* Eſſe autem hanc doctrinam illorum Hæreſim, patet ex ore proprio Lutheri & Caluini; nam damnata fuit ante annum, poſt Chriſtum, quadringenteſimum: imò nullus hominum, ſtatim poſt deceſſum Apoſtolorum, credidit, & docuit, ſolam fidem iuſtificare, vt fatetur

 etiam

etiam Lutherus; quod patebit ex *quæſt: 20.* In doctrina autem Apoſtolica, nulla fuit mutatio in Eccleſia, ante illum annum, 400. vt expreſſè docet Caluinus *lib: 4. Inſt: cap: 2. §. 3. & cap: 9.* Lutherus verò *in Comment: ad Gal: tom: 1. Germ: Vitembergæ edito.* Doctrina igitur erat Apoſtolica, ſolam fidem non iuſtificare, & contrarium Hæreſis.

2. Hæreſis *Pelagiana* & *Iouiniana*, fuit antiquitùs damnata à verâ Eccleſiâ Chriſti: *Omnia peccata eſſe mortalia;* id eſt, mereri damnationem æternam. Ita teſtatur D. Hieronymus, *lib: 11. contra Iouinianum & Pelagium.* Hoc idem docent Lutherani & Caluiniſtæ. Lutherus *art: 32.* ex damnatis à LEONE X. *Omne peccatum natura ſuâ eſt mortale, ex ſola ſententia Dei veniale.* ita enim ipſe eum poſt Pontificiam damnationem interpretabatur. Idem docet & Caluinus, *lib: 3. Inſt: c. 14.* de quâ re videantur Monita Crucij. & Philippus Melãchton, *de diſcrimine peccati mortalis, & venialis.* Probat quoq; id Tilmannus Heshuſius, & contrarium errorem eſſe Pontificiorum aſſerit. Conſonant Magdeburg: *cent: 1. lib: 11. cap: 4. Omnia peccata, ſecundum Apoſtolum, merentur iram Dei, & pœnas æternas.* Chemnitius quoque idem, opinatur *in examine p. p. Concilij Tridentini.* & alij.

3. Hæreſis *Procli* fuit antiquitus damnata à verâ Eccleſia Chriſti. *Concupiſcentiam etiam ſine conſenſu voluntatis, eſſe verè ac propriè peccatum, nec tolli per Baptiſmum.* Ita teſtatur *Hæreſi 64.* Epiph. Idem docent Lutherani & Caluiniſtæ: Lutherus *in aſſertione,* art: 21. *Admittere,* inquit, *non poſſum, quod docent Pontificij: Concupiſcentiam non eſſe propriè peccatum, & culpam, ſed tantùm, pœnam peccati.* Philippus etiam *de peccato originis.* Caluinus *lib: 3. Inſt: c. 3. §. 10.* vbi fatetur ſe à D. Auguſtini ſententia recedere: *Auguſtinus,* inquit, *non audet vocare Concupiſcentiam peccatum, ſed infirmitatem; niſi vbi conſenſus acceſſerit. nos autem pro peccato habemus, & cùm Baptiſmus Concupiſcentiam non tollat, conſequenter etiam peccatum non tollit.* Petrus Martyr *in Comment: cap: 5. ad Rom.* Chemnitius clariſſimè *in Examine Trident: Seſſ: 5.* & probat: Quia Sacra Scriptura vocat *Concupiſcentiam, peccatum.* Acutè ſanè infert. Ergo verè & propriè, ſeu formaliter eſt peccatum. Similiter inferre

Digitized by Google

inferre deberet: Chriſtum eſſe verè & propriè peccatum. quia S. Scriptura, *2. Cor: 1.* vocat eum, *peccatum.* Hanc concupiſcentiam Confeſſio fidei Geneu: *art: 11.* docet eſſe, *peccatum Originale* nec tolli per Baptiſmū, quoad culpā. Quod docet etiā Caluinus, *lib: 2. Inſt: c. 10. & lib: 4. c. 15.* Apoſtolus verò ait, 1. Cor: 6. *Et hæc quidem fuiſtis*, id eſt peccatores, vt præmiſit ibi, *ſed abluti eſtis, ſed iuſtificati eſtis.*

4. Hæreſis *Vigilantij*, ab *Euſtachio* multò poſt reſuſcitata fuit, & prorſus ſimul extincta, anno Chriſti 406. quo & à vera Eccleſia Chriſti damnata fuit: *Non eſſe inuocandos Sanctos, qui ex hac vitâ in gratiâ Dei deceſſerunt.* Primum teſtatur Hieron: aduerſus eundem Vigilantium. Secundum refert Socr: *lib: 11. hiſt: cap: 33.* Hunc eundem errorem complexi ſunt Lutherani & Caluiniſtæ; vt patet, & vidimus ſupra. Quod autem dogma hoc hæreſis fuit, non ſolùm inde patet, quod vera Eccleſia Chriſti ita Anno 406. declarauit; ſed etiam, quia ante illum annum nemo ita in Eccleſia Chriſti docuit, quod vel præcedentium Doctorum, ac Paſtorum teſtimonio, qui vno ore ſemper contrarium aſſeuerant, probari poteſt: Irenæi *lib: 5. c. 19.* qui Anno Chriſti 200. vixit. Lactantij, *lib: 7.* qui 231. Origenis, *lib: 2. in Iob.* qui paulò poſt. Cypriani *epiſt: 15. 18. & 57.* qui 264. Athanaſij, *lib: de Incarnat. & in Euang: de Deiparâ*; qui 372. Baſilij, *Oratione in 4. Matth.* qui 378. Ephrem, *lib: de Compunctione*; qui 378. Gregorij Naz: *in laudem Baſilij & Cypr.* qui 381. Ambroſij, *lib: de Viduis*; qui 397. vel 364. è viuis exceſſit. Vide & Auguſt: Hieronym: Epiph: Chryſoſt: Theod: &c. qui eo ipſo ſæculo, quo hæc Hæreſis ab inferis primùm emerſit, floruerūt.

5. *Hæreſis Aëriana*, fuit ab Aërio dicta, vel Aëriano, antiquitùs damnata à verâ Eccleſia Chriſti, id eſt, circa annum trigeſimum ſupra trecentos: *Non eſſe orandum pro mortuis.* Ita teſtatur Epiph: *Hæreſi 75.* D. Auguſt: *lib: de Hæreſibus, Hæreſi 53.* & Damaſcenus *de Arianis.* Deniq; quod magis mirum eſt, admittunt etiam Centuriatores, *Centuriâ 4. cap: 5.* damnatum fuiſſe hunc errorem à veteri Eccleſia: ſibi tamen non videri errorem, ſed contrarium potiùs. Idem autem quod Aërius, docent Lu-

Digitized by Google

cent Lutherani & Caluiniſtæ; vt per ſe patet. Vide Lutherum in *lib: de abrogandâ Miſſâ*, & in *lib: ad Valden: de Euchariſtiâ*. Caluinum, *lib: 3. Inſtit: c. 5.* Hæreſim verò hanc eſſe, patet teſtimonio ipſorummet; quia orabatur in Eccleſia Chriſti pro mortuis, ante ætatem adhuc S. Auguſt: imò & primo ſæculo; vt patebit ex *quæſt: 22.*

6. Hæreſis antiqua fuit *Donatiſtarum*, antiquitùs damnata à vera Eccleſia Chriſti: *Eccleſiam viſibilem ex ſolis iuſtis conſtare*. Ita teſtatur D. Auguſt: *lib: de Vnitate Eccleſiæ, c. 12.* Idem docent Lutherani & Caluiniſtæ: Lutherus in *lib: de Concilijs & Eccleſia, parte 3.* Confeſſio Auguſt: *art: 7.* diſertè dicit: *Eccleſia eſt Sanctorum congregatio.* Intelligit autem, vt Lutherus, de ſanctitate ſingulorum membrorum; inde enim probat, non eſſe de Eccleſiâ Papam & Cardinales, quia non ſunt Sancti. Caluinus etiam *lib: 4. Inſt: c. 5. Eccleſia ex ſolis bonis conſtat.* Philippus etiam conatur *in Apologiâ* oſtendere, peccatores ad Eccleſiam nō pertinere, niſi nomine. Brentius *in Prolegom:* contra Petrum Soto.

7. Hæreſis *Neſtoriana* fuit antiquitùs damnata à vera Eccleſia Chriſti: *In Chriſto eſſe duas Perſonas.* Ita teſtatur Theodoretus antiquus author, *lib: 4. de Hæret: fabul.* Id autem docent etiam Caluiniſtæ: Caluinus *lib: 1. Inſt: c. 13. §. 9. & 23.* dicit, Chriſtum habere & Perſonam Diuinam, & Perſonam Mediatoris. Mediator autem non eſt, niſi quatenus homo. *§. etiam 24.* Filium Dei, quatenus eſt Sermo æternus (vt ſic autem eſt Perſona Diuina) ſuſcepiſſe Mediatoris Perſonam. In *cap: etiam 11. Ioannis* docet, in Chriſto eſſe vnitatem Perſonarum: quo modo loquendi in plurali numero, indicat in Chriſto duas eſſe Perſonas. Scio quidem Caluinum alibi contrarium docere, quia non inſolens illi eſt, calidum & frigidum ex vno ore euomere, & pugnantia in fide docere. Beza *in Opuſculo Geneu: 1570.* docet in Chriſto eſſe duas vniones hypoſtaticas: vnam inter animam & corpus, dum ſibi perſonaliter iunguntur; aliam inter hominem & Verbum, &c. Hanc & aliorum eſſe Caluiniſtarum doctrinam, ſcribit Hunnius Lutheranus *in Papiſmis Caluiniſticis*; imò docet ex ſententia Caluiniſtarum, Trinitatem

quatuor

Digitized by Google

quatuor Perſonis, & vna prætereà creatura conſtare. Sed mirum non eſt, quid enim à monſtro, niſi monſtrum expectes? ipſi cùm ſint monſtra, monſtra pariunt.

8. Hæreſis fuit quorundam veterum Hæreticorum: *Non eſſe verè in Euchariſtia Chriſti Corpus, ſed tantùm ſigna illius.* Ita refert ex S. Ignatio Theodoretus *in Dialog: Impatibilis.* vbi etiam affirmat damnatam illam fuiſſe ab Eccleſia Chriſti,& tandem poſt penitus extinctam. Idem quoq; teſtatur 7. Synodus *Actione 6. tom: 3.* Hanc eandem Hæreſim docent hoc tempore, Caluinus & Caluiniſtæ; vt patet ex 1. noſtrâ quæſt.

9. Hæreſis fuit *Lampetianorum,*damnata antiquitus ab Eccleſia Chriſti: *Omnia vota facta Deo,eſſe illicita; & vota ſi fiunt debere eſſe libera: hoc eſt, liberè debere ſeruari,vt ſi velint,quando velint,poſſent mutare, etiamſi vouerint.* Ita Damaſcenus *de 100. Hæreſibus.* Idem docent Lutherani & Caluiniſtæ. Lutherus totidem verbis, in *lib: de Votis Monaſticis*; vbi & iſta reperies: *Vota Monaſtica ſunt impia, gentilia, Iudaica, ſacrilega, &c. quare deſerenda, etſi piâ & verâ opinione emiſſa fuerint.* Petrus Martyr in *lib: de Votis & Cælibatu:* vterq; horum vouerat continentiam Deo, vterq; vxorem duxerat. Aliorum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarm: *lib: 11. de Monachis, à cap: 15.*

10. Hæreſis fuit *Nouatianorum,* antiquitus damnata à vera Chriſti Eccleſiâ: *Nullum eſſe in Eccleſia Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu reconciliationis,præter Baptiſmum; nec Eccleſiam habere poteſtatem iudiciariam, reconciliare homines Deo, niſi per Baptiſmum.* Ita teſtatur Socrates *lib: 4. hiſt: c. 23.* Cypr: *lib: 11. epiſt: 4.* Ambroſius *lib: de Pœnitentia,c. 2.* Eadem autem eſt Hæreſis Lutheranorum, & Caluiniſtarum; vt per ſe patet. Videatur Franciſcus Suarius *tom: 4. diſputatatione 16. Sect: 1.*

Aliæ Hæreſes Caluiniſtarum & Lutheranorum, patent ex *præced: quæſt.* Hanc autem Eccleſiam, quæ damnauit hos errores, patebit ex *quæſt: 20. & 23.* nimirum ex ſententia etiam ipſorum Lutheranorum & Caluiniſtarum, veram Eccleſiam Chriſti fuiſſe.

PROPOSITIO III.

LVtherana & Caluiniana Hæreſis, quoad præcipuos, & non paucos errores, eoſque eſſentiales fidei, conſtat ex antiquitus damnatis Hæreſibus.

Patet ex præcedenti Propoſitione. Nihil ergo aliud eſt vnaquæq; Hæreſis hæc, quam colluuies & immenſum chaos, reproductarum ab Orco Hęreſûm, quas omnis antiquitas prioribus ſæculis proſcripſit, & anathematizauit.

PROPOSITIO IV.

PAuciores errores in fide continet Lutherana Hæreſis, quàm Caluiniana.

Patet ex dictis.

PROPOSITIO V.

CAluiniana Hæreſis, magis eſt ſimilis Hæreſi Anabaptiſticæ, Socinianæ, ſeu Rakouianæ, quàm Lutheranæ.

Probatur. Quia à Lutheranâ diſſidet in multis articulis eſſentialibus, vt vidimus: à Rakouiana verò, tantùm in 2. (de quo adhuc poſſet eſſe controuerſia) Nam agnoſcunt Caluiniſtæ, Chriſtum eſſe verum Deum, & æternum, (quanquam ſi duas Perſonas ſtatuunt eſſe in illo, vt vidimus; neſcio quomodo illud verum erit) & Spiritum S. (quanquam & hoc negat vna pars illorum, vt vidimus quæſtione præced:) eſſe tertiam Perſonam in Diuinis; quod vtrumq; negant Rakouienſes. Et hæc eſt cauſa, cur Smidelinus contra Gryneum Caluiniſtam; & Ioannes Schultz, *lib: 50. Cauſarum, cap: 48.* Lutheranus vterque, ſcripſerunt Caluiniſmum eſſe *ſororem Arianiſmi, & vlti-*

Digitized by Google

& vltimam Sathanæ iram. & Iacobus Andreas contra Heidelber: *pag: 182.* dicit, *Caluiniſtas Arianos, ac Neſtorianos, ſathanæ tradendos* eſſe. Non dolet hoc vobis Caluiniſtæ? ſi non, callũ obduxiſtis.

QVÆSTIO XVII.

An Marcus Antonius de Dominis, fuerit Anno 1617. & 1618. eiuſdem profeſsionis fidei cum Lutheranis & Caluiniſtis?

QVæſtio eſt de fide totali omnium articulorum. Pro faciliori & clariori reſolutione quæſtionis huius, exponam ex *4. libris, de Republica Eccleſiaſticâ*, eiuſdem M. Antonij, quænã fides illius illis annis fuit.

1. Docuit M. Antonius; *Chriſtum nunquam fuiſſe in terris viſibile caput Eccleſiæ.* Ita *lib: 1. de Republ: Eccleſ: c. 1. n. 23.* his verbis: *Chriſtus nullius capitis viſibilis vnquam munus in Eccleſia ſua exercuit*; (quanquam poſt contrarium admiſit, vt pateat ipſum fuiſſe ex numero eorum, qui ab Eccleſiæ vnitate recedunt, omnes enim iſti vitio contradictionis laborant.) Contrarium huius rei docent Lutherani & Caluiniſtæ, & meritò. Nam Chriſtus in hac vita fuit caput illius, & quidem viſibile, quia tale fuit reſpectu hominum, alioquin Eccleſia tunc fuiſſet ſine capite.

2. Docet; *Nullum eſſe caput in Eccleſia Dei per externam gubernationem.* Contrarium docent Caluiniſtæ in Anglia; vt videre eſt apud Capellum *in Vindicijs*, pro Caſaubono. Et quod magis eſt, ipſe etiam Sereniſſimus Rex Angliæ, ad quem iſte, tanquam ad Patronum confugit: docet enim ille; *Imperatorem in imperio, & Regem in regno, eſſe caput Eccleſiæ, quoad externam gubernationem.* Arminiani verò Caluiniſtæ docent, Eccleſiam non eſſe regendam à Rege, vel Principe ſæculari; vt patet ex declaratione illorum cit: *quæſt: 15.*

3. Docet; *Spiritum S. eſſe propriè Vicarium Chriſti in regimine Eccle-*

ne Eccleſiæ. Ita *lib: 1. c. 4. n. 2.* Non ſunt huius ſententiæ Lutherani & Caluiniſtæ. Hæreſis enim eſt, & quidem Macedoniana, antiquitus damnata, vt aſſerunt Theologi Pariſienſes; (nã Vicarius minor eſt, eo cuius eſt Vicarius) in cenſura lib: M. Anton. cum quibus putabat ſe ſentire, & quorum cenſuram non verebatur imprudens ſubire.

4. Aſſeruit odio in Pontificem; *Nullum Pontificem Romanum eſſe caput, & Paſtorem vniuerſalem Eccleſiæ.* Ita *lib: 4. c. 7.* in quo conuenit cum Lutheranis & Caluiniſtis, contra conſenſum omnium SS. Patrum, & Conciliorum. De quâ re videri poteſt Martinus Becanus, in *lib: de Republ: Eccleſ:* contra eundem M. Antonium.

5. Affirmat; *Vnumquemq; Epiſcopum, cum plenâ poteſtate, in ſolidum regere Eccleſiam Chriſti.* Ita *lib: 2. cap: 5. n. 9.* A qua ſententia alieni ſunt Lutherani & Caluiniſtæ, & meritò, quia Hæreſis eſt; vt docent Pariſien: contra ipſum.

6. *Epiſcopos Presbyteris*, ait, *iure Diuino eſſe Superiores, & eminentiores*; in *lib: de Rectoribus Eccleſiæ*; quod verum quidem eſt, ſed non admittitur à Lutheranis & Caluiniſtis: & hoc telum petit Regem Angliæ, qui non aliam diſtinctionem admittit inter Epiſcopos & Presbyteros, quàm quæ ordinis cauſa, humano iure introducta eſt.

7. Negat, *eſſe ſeptem propriè Sacramenta inſtituta à Chriſto.* Ita colligitur ex *lib: 2. c. 4.* Patrocinantur illi Lutherani & Caluiniſtæ, contra Scripturam S. & conſenſum antiquæ Eccleſiæ: plura tamen ille Sacramenta, quam vtriq; illorum, admittit.

8. Aſſerit; *Votum ſolenne continentiæ, deliberatè, & placendi Deo factum, eſſe honeſtum, validum, & obligare coram Deo vouentem: poſſibile enim eſt adſeruandum;* vt etiam patet *Matth: 19.* Ita *lib: 2. c. 12.* Hoc verò reſpuunt Lutherani & Caluiniſtæ, imò docent abſolutè in Nouo Teſtamento, (vt vidimus *quæſt: præced.*) non licere vota facere; quod eſt contra S. Scripturam. *Dominus dans votum vouenti;* 1. Reg: 2. Aquila etiam Chriſtianus factus, (apud quem S. Paulus manebat Corynthi, & quem ſecum Epheſum duxerat, & qui Apollum, Chriſtianum iam, & prædicantem

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum Epheſi, imò eloquenter, diligentiùs viã Dei docuit) totondit ſibi caput in itinere cum Paulo;habebat enim votum. *Actо: 18.* illud fortaſſis, de quo *Num: 6. ℣. 18.* ad modum Nazaræorum:nec S. Paulus prohibuit eum,vel hoc in illo reprehendit. Votum etiam continentiæ habetur 1. Tim: 5. *Adoleſcentiores autem viduas, &c.* & ita ſentit S. Auguſt: cui poſt Apoſtolos Eccleſia Chriſtiana nullum habuit æqualem. Doctor enim eſt ſuper omnes Doctores, teſte Luthero ſcribente de ipſo.

9. Purgatorium admittit, Sanctos inuocat; Miſſam docet eſſe Sacrificium; in Euchariſtia agnoſcit dari nobis verum Corpus Chriſti, & Sanguinem,ibiq; illud verè præſens eſſe; & non figuratè tantùm,vel per fidem,& ore corporali à fidelibus vtrumq; ſumi. Meritum bonis operibus factis in gratia non denegat, & alia; in quibus non eſt conſentaneus Lutheranis & Caluiniſtis.

Scio plurima ex his ſuccedentibus annis ipſum (pro more Hæreticorum) negâſſe, & oppoſitos Lutheranorum & Caluiniſtarum errores, amplexum, ac palam ore & calamo profeſſum fuiſſe. Verum id nil aduerſatur, præſenti quæſt: in qua (propter Gedanenſes & Torunenſes) inquirimus, non quid ille ſemel prolapſus, ab Orthodoxæ fidei veritate, quocunque tempore, quamdiu non reſipuerat, ſenſerit, & docuerit; ſed quid Anno 1617. & 1618. Quanquam fatetur ipſe Antonius, in Conſilio reditus ſui ex Anglia, ſe multa ex illis etiam, docuiſſe & ſcripſiſſe, non ſpectando quid verum eſſet, ſed quid hoſtibus Eccleſiæ Catholicæ, ac præſertim plebi imperitæ placeret, quid deniq; Anglorum mentes demulceret: quæ tamen, ſicut & alios ſuos errores, totis poſtea viribus, palam coram Rege, Magnatibuſq; Angliæ, impugnauit. His præmiſſis, Reſpondeo ad quæſtionem.

MArcus Antonius de Dominis, non fuit illis annis eiuſdem profeſſionis fidei, cum Lutheranis & Caluiniſtis; nec Lutheranus, nec Caluiniſta, imò

nec Huſſita, nec Arianus, nec Catholicus: ſed nouæ fidei homo.

Probatur propoſitio primò. Quia Symbolum doctrinæ & fidei, M. Antonij, eſt nouum: nam non fuit totum ſimul vnquam in mundo; nec niſi in ipſo, & partim ex Lutheri fide, partim ex Caluini, partim ex proprio ingenio illius, conſarcinatum; vt patet per ſe.

Secundò. In multis fidei propoſitionibus, longè diuerſus eſt à Lutheranorum & Caluiniſtarum doctrinâ, vt non obſcurum eſt ex ijs, quæ ante dicta ſunt. Ergo, &c.

Ex dictis colligitur: Imprudenter Lutheranos & Caluiniſtas Gedanen: & Torunen: tripudiaſſe ob defectionem à fide Catholica M. Antonij, & libellum ſcriptum ab illo, de Conſilio profectionis in Angliam, recudiſſe. Fecerunt tamen hoc odio in Eccleſiam Romanam: à quâ defectionem alicuius, reputant ſuam auctionem: ſed vnus vir, nullus vir.

Et quid ſtultius, quam acuere gladium, quem ita in hoſtē vibres, vt tuum ipſius iugulum magis petat, quam inimici? Nam Eccleſiæ quidē Catholicæ, ſiue illud *Conſilium*, ſiue quoduis aliud telum Antonij, quantum afferre detrimenti potuerit, ipſo Antonio teſtis præclarior nemo: at vobis glorioſi præcones, quantum vel aliud agens, imò veſtro iudicio pro vobis agens, de facto attulerit; audete iam ſi poteſtis negare. Quanquam profuerit ſanè, vt putabatis, nec vos imprudenter, aut omninò ſtupidè, veſtrum feceritis; ſi tantus apud vos Antonius, & *Conſilia* eius, tanti facitis: quin rurſum agitis, & nobis etiam iuuantibus, poſteriori quoq; *Conſilio* præla fatigatis. Nam iudicium vtiq; experientiâ & ætate creſcit, & cōſilia poſteriora prioribus ſolent eſſe meliora. Puto rem toti orbi clariſſimam, & non minus honorificam nobis, quam vobis & Angliæ ignominioſam ſoli non ignoratis: nec eſt poſſibile eos ipſos ictum vulneris non ſentire, quorum intima penetrauit. Sed carnis mancipia, nil præter *carnis*, vt illud ipſe vocat Antonius, *Conſilium* complecti norunt: & credo, ſi vocem illam adeò ſalutarem vo-

Digitized by Google

rem vobis & honorificam, vt vultis, ſuſtinere nequaquam potuiſtis, ſuſtineretis ſcilicet tot illa deteſtationum fulmina, quæ è Romanæ Baſilicæ theatro, ad SS. D. N. GREGORII XV pedes prouolutus, cuius auſpicijs & Paterna clementia, in amplexum deſertæ Matris iterum admiſſus eſt, rectâ in veſtrum caput ore primũ, deinde & calamo vibrauit, & adhuc vibrabit.

QVÆSTIO XVIII.

An Proteſtantes meritò vocentur Caluiniſtæ?

PROPOSITIO I.

MEritò vocari Proteſtantes Caluiniſtas.

Ita docent non ſolùm Pontificij, ſed etiam Lutherani & Anabaptiſtæ.

Probatur primò. Ij qui tuentur vniuerſum dogma Caluini, eiq; adhærent, quod ante Caluinum in mundo non erat, ſed ab ipſo inuentum, meritò vocantur Caluiniſtæ. Sed Proteſtantes tuentur vniuerſum dogma Caluini, &c. Igitur meritò Proteſtantes vocantur Caluiniſtæ. Maior probatur. Tùm quia non aliam ob cauſam verè ab omnibus, & ſemper aliqui Philoſophi vocantur Ariſtotelici, quàm quia vniuerſum dogma Ariſtotelis & nouum tuentur eiq; adhærent; alij Platonici, quia Platonis; alij Auerroiſtæ, alij Pythagorici, alij Thomiſtæ, alij Scotiſtæ, alij Occamiſtæ: imò & Chriſtiani à Chriſto; vt aſſerit Lyranus. Eandem quoq; cauſam affirmant, Chryſoſt: Cyrillus, *Catecheſi 17.* Athanaſius *Diſputatione contra Arrium.* tùm quia à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Chriſti iure ſemper, à doctiſſimis etiam & Sanctiſſimis viris varij Sectarij, varijs nominibus, eorum videlicet, qui primi authores, & inuentores illarum Sectarum fuerant, appellabantur: vt Valentiniani à Valentino Hæreſiarcha, teſte Irenæo antiquiſſimo Doctore. Mar-

Digitized by Google

re. Marcioniſtæ à Marcione, vt videre eſt apud Cyprianum: Montaniſtæ à Montano. Ariani ab Ario, vt aſſerit Athanaſius, (quo nomine appellandos eos eſſe ſtatuit Diuæ memoriæ Cõſtantinus; atteſtantur in ſuo decreto, Theodoſius & Valentinianus Imperatores, vt vidimus *quæſt: 14.* qui etiam Sectatores Neſtorij, voluerunt vocari Neſtorianos.) Eunomiani ab Eunomio, teſte Baſilio & Greg: Nazianz. Manichæi à Manete; Donatiſtæ à Donato; Pelagiani à Pelagio, vt docent, Auguſt: & Hieronym. & alij ab alijs. Deniq; quia ipſi Proteſtantes vocant nos Catholicos Pontificios, & prius id nominis ab illis habere cœpimus, quàm illi à nobis Caluiniſtarum audierunt, putantq; ſe meritò id facere, ob eã cauſam, quia dogma Pontificiorum ſequimur. Item Rakouianos vocant Socinianos, & Euangelicos Lutheranos, imò & ſeipſos Auguſtanos: quia putant ſe Auguſtanam Confeſſionem tueri. Ergo, &c. Minor verò certa eſt, tùm teſtimonio ipſorum Proteſtantium; tùm ratione: quia ipſi ſoli pro vniuerſo dogmate, ſeu Symbolo fidei Caluini, tanquam pro aris & focis ſtant, vt ipſi putant, fideliter, quod dogma ante in viuis non fuit, nec alium Protomagiſtrum ante habuit; vt vidimus ſupra.

Secundò probatur propoſitio, ſi quæ ratio eſſet, cur immeritò vocarentur Proteſtantes Caluiniſtæ; maximè hæc eſſet, quia non ſunt baptizati in Caluinum, nec credunt in illũ, ſed in Chriſtum. Sed hæc ratio nullos habet neruos. Ergo, &c. Maior eſt Proteſtantium, nec aliam cauſam aſſignare poſſunt. Minor verò probatur. Tùm quia ipſi Proteſtantes vocant nos Catholicos Pontificios, quamuis non ſumus baptizati in nomine vllius Pontificis, nec credamus in illum: ſtultè igitur & immeritò nos eo pacto appellarent. Vocant item & Rakouienſes Socinianos, & Euangelicos Lutheranos, & ſeipſos Auguſtanos, quamuis non ſint baptizati in nomine Auguſtanæ Confeſſionis, nec in eam credant. Tùm quia quicunque alij Hæretici poſſent ſimiliter dicere ſe immeritò vocari; v.g. Marcioniſtas, Arianos, &c. vt vidimus; & doctiſſimi ac Sanctiſſimi viri, qui illis tales titulos tribuebant, nouerant illos baptizatos eſſe

zatos eſſe in Chriſtum, & credere in illum; non in Marcionem, Arium, &c.

Tertiò probatur. Iſti Euangelici putant ſe meritò vocari Proteſtantes, quia proteſtantur. Ergo meritò quoq; vocantur Caluiniſtæ, quia Caluinizant, hoc eſt Caluini virus bibunt, & in alios peſtilenter diffundunt.

PROPOSITIO II.

IMmeritò conqueruntur Proteſtantes contra nos Catholicos, quod vocentur à nobis Caluiniſtæ.

Vt nuperrimè fecit Nicolaus Symmachus, lib: ſup: cit: *Proh dolor*, inquit, *hi qui Caluiniſtæ vocantur, ſunt veri Catholici, & tantùm ex malitia, odio, & inuidia quorundam, priori modo appellantur.* Patet ex dictis. Si enim ſic meritò vocantur à nobis, vt vidimus; immeritò conqueruntur.

QVÆSTIO XIX.

An Eccleſia Lutherana & Caluiniana erret in eſſentialibus fidei, maximè ex propria ſententia?

PROPOSITIO I.

ERrat.

Probant hanc propoſitionem omnia argumenta ſequentiũ propoſitionum. Addo. Eccleſia, quæ non habet veram fidẽ, nec habitualem, nec actualem, errat procul dubio in eſſentialibus fidei. Talis autem eſt Eccleſia Lutherana & Caluiniana. Ergo, &c. Maior eſt euidens. Minor oſtenſa *quæſt: 10.* Item Eccleſia Lutherana & Caluiniana, ſcienter continet Hæreſes, antiquitùs à vera Eccleſia Chriſti damnatas, contra aliquos eſſentiales articulos fidei, vt vidimus *quæſt: 16.* & [illegible]

quæſt: 23. Igitur errant in eſſentialibus fidei: nam illa vera Eccleſia Chriſti, damnando prædicta, non errabat, vt per ſe patet. Deniq; in Eccleſia Lutherana & Caluiniſtica, nulla eſt vera fides iuſtificans, illius articuli eſſentialis, vt vidimus *qu:14.* Ergo errat in articulis eſſentialibus.

PROPOSITIO II.

ECcleſia Lutherana, ex ſententia Eccleſiæ Caluiniſticæ, errat in eſſentialibus fidei, ſeu neceſſarijs ad vitam æternam.

Probatur primò. Eccleſia Lutherana ex ſententia Eccleſiæ Caluiniſticæ, errat in articulo de Cœnâ Euchariſticâ. Hic autem articulus eſt eſſentialis fidei, vt vidimus *qu: 1.* Ergo, &c.

Probatur ſecundò Quia Eccleſia Idololatrica errat ſaltem in aliquo vno eſſentiali fidei, vt per ſe patet, & vidimus *quæſt:1.* Sed Eccleſia Lutherana, ex ſententia Eccleſiæ Caluiniſticæ, eſt Eccleſia Idololatrica; vt patet ex eadem quæſtione. Ergo, &c.

Probatur tertiò. Si Rigidi Caluiniſtæ exiſtimant & dicũt, fratres ſuos Molles errare in eſſentialibus fidei; vt vidimus *quæſt: 15.* multò magis id affirmabunt de Lutheranis, à quibus in pluribus in fide diſcrepant.

PROPOSITIO III.

ECcleſia Caluiniana, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, errat in eſſentialibus fidei.

Probatur primò. Eccleſia Caluiniana, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, errat in articulo de Cœnâ Euchariſticâ, qui articulus eſt eſſentialis fidei, vt vidimus *quæſt:1.* imò & in alijs articulis eſſentialibus errat, vt patet ibidẽ ex 2. ſententia. Ergo, &c.

Secundò. Quia Eccleſia Caluiniana, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, non credit verum Deum, vt patet ex *quæſt: 1.2.3.4.* Ergo errat ex ſententia ipſius, in præcipuo etiam articulo eſſentiali fidei.

PROPO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

ECcleſia Lutherana & Caluiniana, errat ex propria ſententia in eſſentialibus fidei.

Probatur primò. Quia nulla harum Eccleſiarum poteſt ſtatuere, nec determinatè dicere, quinam articuli ſunt eſſentiales fidei Chriſtianæ, vt patet ex *quæſt: 1.* quod manifeſtum indicium eſt eos errare, in aliquo eſſentiali fidei, vel ſaltem non poſſe eos verè affirmare, ſe non errare in omnibus eſſentialibus fidei.

Secundò. Quia Eccleſia Lutherana & Caluiniana, modò dicit aliquem articulum eſſe eſſentialem fidei; modò contrarium illi aſſerit eſſe eſſentialem. v. g. eſſe neceſſaria opera bona ad ſalutem, & non eſſe neceſſaria: ſufficere ſolam fidem, & non ſufficere; vt vidimus *quæſt: 11.* & mox in argumento ſequenti. Scripturam ſufficienter expreſſè continere omnia dogmata ad fidem, vitamq; rectè informandam, ſpectantia; & non continere. Sacramenta modo eſſe duo, modo tria. Impias eſſe & abominabiles Deo cæremonias, quæ expreſſo mandato Dei non ſunt approbatæ, nec exerceri poſſe ſine peccato, & offenſâ Dei; & exerceri poſſe: cùm nomen IESV profertur, genu flectendum, & non flectendum, quia eſt Idololatria, vt vidimus *quæſt: 12.* Quæ omnia patent ex dictis ſupra; & ex libris, tùm noſtrorum Catholicorum, Bellarmini, Gretſeri, Maximiliani, &c. tùm Hæreticorum. Hinc autem apertè ſequitur, errare iſtos in eſſentialibus fidei.

Tertiò. Primarius & fundamentalis articulus fidei Eccleſiæ Lutheranæ & Caluinianæ, nimirum ſolam fidem abſq; operibus iuſtificare, eſt falſus & impius ex ſentētiâ eorundem. Errat igitur Eccleſia Lutherana & Caluiniana, ex propria ſententia, in aliquo eſſentiali fidei. Antecedens probatur. Et quia bimembre eſt, prima pars illius priùs oſtenditur. Lutherus in *Comment: ſupra Galat. & tom: 1. Latin: Vitember. & tom: 1. Lat: Ienen:* ita dicit: *Articulus de iuſtificatione, quòd ſola fides cùm eſt,*

ſine vllis etiam minimis operibus iuſtificat. (verba illius ſunt: *Niſi fides ſit*, nota, *ſine vllis etiam minimis operibus non iuſtificat, imò non eſt fides.* & propterea *tom: 1. Germ: Ienen:* docet cauendum eſſe à peccatis, quod tamen docuerat eſſe impoſſibile, vt vidimus ſupra, & videbimus *quæſt: 25.* ſed multò magis à bonis operibus) *ſi ſemel amittatur, impoſſibile eſt, vt vel vni Hæreſi reſiſtatur, aut obuietur.* Et in *tom: 5. Germ: Ienen. & 7. Germ: Vitemberg:* hæc habet: *Articulo de iuſtificatione per ſolam fidem, quem Papiſtæ nullo modo tolerare volunt, nos carere nullo modo poſſumus; nam ſi actum ſit de hoc articulo, ſimul actum erit de Eccleſia, cùm ſine hoc articulo Spiritus S. nobiſcum eſſe, nec velit, nec poſſit.* Videndus etiam Serm: de Nouo Teſtamento; & Serm: *Sic Deus dilexit mundum.* Caluinus etiam *lib: 3. c. 2. Sect: 1.* Articulum de ſola fide, præcipuum vocat Euangelicæ Religionis ſuſtinēdæ cardinem. Et in Reſpōſione ad Card: Sadoletum: *Sublata fidei iuſtificantis cognitione*, &c. *Chriſti gloria extincta eſt, & abdita religio, & Eccleſia deſtructa, & ſpes ſalutis euerſa.* Et in Comment: in Ioan. & ad Rom: 1. Gal: 2. Eph: 2. *Nihil aliud poſtulat à nobis Deus, niſi vt credamus.* Hoc idem ſequaces eorum aſſerunt. Eſt igitur hic articulus primarius & fundamentalis Eccleſiæ Lutheranæ & Caluinianæ. Iam poſteriorem partem Antecedentis videamus. Lutherus in *Comment: ſupra Ioan: 15. tomo 4. Germ: Vitemb:* ita ſcribit: *Vbi ſola fides iuſtificare docetur, ibi falſi fiunt Chriſtiani; qui de fide quidem gloriantur, & baptizati ſunt, ac in Chriſtianorum numero cenſentur, nullum tamen, neque ſuccum, neq; fructum proferunt.* In Poſtillâ verò domeſtica, *Conc: 8.* poſt Trinitatem affirmat, illos qui putant ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, falſam fidem habere, & cum illâ ire ad diabolū. & in *Comment: 1. Epiſt: S. Ioan:* dicit: in die Iudicij ſubijciendam eſſe fidem examini, vt probetur, num vera fides fuerit; nam ſola & vacua fides nullius erit pretij. Deniq; clarius in *Commēt: 1. Petr: 1.* Caluinus etiam lib: 3. Inſt: c. 14. Sect: 21. *Bona*, inquit, *fidelium opera, S. Scriptura cauſas eſſe oſtendit, cur illis Deus benè faciat:* (loquitur autem non de beneficijs corporalibus, ſed de beneficio ſalutis æternæ.) *Nihil obſtat, quo minus opera Dominus tanquam cauſas inferiores, amplectatur. Sed vnde id? Nempe quos ſua miſericor-*

miſericordia æternæ vitæ hæreditati deſtinauit, eos ordinariâ ſuâ diſpoſitione per bona opera, in eius poſſeſſionem inducit. Et in cap: 5. Ioan: *Fides non excludit charitatem, nec reijcit quodcunq; bonum opus.* Beza *Confeſ: puncto 4. art: 18.* hæc habet: *Vita æterna nullus promittitur, niſi qui operibus iuſtitiæ ſtudent.* & *art: 31. & 32. & puncto 5. art: 17.* aſſerit Sacramenta nouæ legis eſſe tubos & canales, per quos Deus gratiam iuſtificationis in corda ſuorum inſtillat. Denique puncto 4. art: 29. *Pænitentia*, inquit, *non eſt vera ſine Confeſſione peccatorum, coram quo par eſt, nec ſine ſatisfactione & reſtitutione.* Vult ergo non ſolùm opera iuſtitiæ neceſſaria eſſe ad conſequendã vitam æternam, ſed etiam non ſolam fidem iuſtificare, ſeu gratiam iuſtificationis conferre; ſed & Sacramenta quæ non ſunt fides, & confeſſionem, ſatisfactionem, ac reſtitutionem: quæ ſunt noſtra bona opera. Falſum igitur iſti, & alij volunt eſſe hunc articulũ: Sola fides abſq; bonis operibus iuſtificat. Errant igitur ex ſententia propria, in aliquo articulo fidei eſſentiali.

Ex dictis clarum eſt, Eccleſiam Lutheranam & Caluinianam, non eſſe veram Eccleſiam Chriſti. Intendant in huius argumenti claritatem oculos mentis Lutherani & Caluiniſtæ explorent, an ſint genuini pulli Aquilæ, hoc eſt, Chriſti Eccleſiæ veri filij.

QVÆSTIO XX.

An vera Eccleſia Chriſti poſsit errare in eſſentialibus fidei, ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum; & an de facto errauerit aliquando in huiuſmodi: ac conſequenter defecerit, & poſt Chriſti Domini Aſcenſionem in cœlum, aliquando in toto orbe non fuerit?

Digitized by Google

QVærimus de vniuerſa Eccleſia. Tunc autem Eccleſia, ex ſententiâ Aduerſariorum deficit & interrumpitur, cùm in fide alicuius articuli eſſentialis, aut fundamentalis, errat. Hoc poſito

PROPOSITIO I.

NOn poteſt, ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum, errare in talibus, vera Eccleſia Chriſti; nec deficere, aut interrumpi vſq; ad finem mundi.

Ita Lutherus in *lib: de Vera Eccleſia Chriſti*, tom: 7. Vitember: Germ: pag: 150. & 151. *Eccleſia mentiri non poteſt, neq; errorem docere, aut falſum, idq; nec in vno capite, ſeu puncto: os Dei, eſt os Eccleſiæ, & contra; Deus mentiri non poteſt: ſimiliter nec Eccleſia.* Et in Biblijs, *Pſal: 92.* dicit de regno Chriſti in terra, hoc eſt de Eccleſia: *Hoc*, inquit, *regnum, ita Chriſtus inſtituit, vt tàm latè pateat, atq; orbis, & perpetuò duret.* Caluinus etiam præter loca allata in *quæſt: 5. in Comment: Iſa: 59.* docet, in Eccleſiâ Chriſti nunquam deeſſe, nec defuturos Doctores, in quorum ore ſit Spiritus, & verbum Dei; & qui verè illud prædicent, & rectè omnia Sacramenta adminiſtrent. Dominum etiam ſic affuturum Eccleſiæ, vt eâ priuari nunquam ſinat doctrinâ, ſeu verâ fide. Eadem habet *4. Inſt: cap: 7. §. 11. vſq; ad 16.* vel iuxta minorem *Inſt: c 8. §. 146. vſq; ad 851.* Et in lib: de verâ, Eccleſiam reformandi, ratione: *Eccleſiam Dei quærimus, fatemur omnes ſic propagatam fuiſſe ab initio, vt continuo ſæculorum ordine, ad nos vſq; durauerit, & hodie diffuſa ſit per totum orbem.* Et 4. Inſt: lib: 1. Sect: 17. *Statuendum eſt, nullum fuiſſe ab orbe condito tempus, quo Eccleſiam ſuam Deus non habuerit, nullum quoq; etiam futurũ ad conſummationem ſæculi, quo nõ ſit habiturus.* Deniq; in Harmon: *Matth: 28.* Deum adfuturum ſuo auxilio, non ſolum Apoſtolis, ſed omnibus Paſtoribus Eccleſiæ; non in vnam ætatem, ſed vſq; ad finem mundi. Beza quoque Tr: Theolog: ep: 24. affirmat, in Eccleſia Chriſti ſemper à Miniſtris in hoc vocatis, doctrinam fidei purè tradi, & Sacramenta

ex verbo

Digitized by Google

ex verbo Dei adminiſtrari. Auguſtana Confeſſio *artic: 7.* docet, Eccleſiam Chriſti perpetuò manſuram. Magdeburg: in Dedicatoriâ, *Centuriâ 8.* Conradus Schulſenburgius, *lib: 8. Cathalog.* vbi docet, debere Eccleſiam Chriſti, ſaltem ſecundũ aliquam partem, ſemper eſſe conſpicuam & ſpectabilem. Iacobus etiam Zaborovvski *l. c. quæſt: 1.* expreſſè concedit, Eccleſiam in nullo eſſentiali articulo errare poſſe. Barthol: verò Rulich Prædicans, in propugnaculo veræ Religionis, etiam probat hoc Script: S. teſtimonijs. Guilhelmus etiam Witacherus Caluiniſta, *quæſt: 3. de Eccleſiâ, c. 3.* Hunnij teſtimonium vidimus ſupra, *quæſt: 5.* & alij. Meritò autem iſti omnes docent, Eccleſiam Chriſti errare in eſſentialibus fidei, & deficere non poſſe; contraria enim vox, teſte Aug: in *Pſal: 101.* impudens vox eſt, abominabilis, mendax, & temeraria. Loquuntur autem iſti omnes, etiam Lutherus & Caluinus, de externâ quoq; & viſibili Eccleſiâ, vt patet ex verbis illorum: talem enim Eccleſiam dicunt eſſe matrem, quæ Chriſto liberos parit, & neminem poſſe habere vitam in Chriſto, niſi eum talis Eccleſia pariat. quod nonniſi Eccleſiæ externæ, & viſibili conuenit.

PROPOSITIO II.

NOn errauit de facto vnquã vera Eccleſia Chriſti, in eſſentialibus fidei, ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum.

Si enim non poteſt errare in talibus, ex ſententia ipſorum, vt vidimus: ergo multò magis de facto non errauit. A non poſſe enim, ad actum, quod non fuerit, valet conſequentia. Non potuit abſolutè hoc facere. Ergo non fecit.

PROPOSITIO II.

POteſt ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum, errare Eccleſia Chriſti in eſſentialibus fidei: &

de facto

de facto aliquando, imò multo tempore errauit, defecit, ac extincta fuit.

Probatur primò. Teſtimonijs ipſorummet, Lutherus *tom: 2. Germ: Ienen: de Summâ Mandatorum Dei*, aſſerit, articulū de iuſtificatione per ſolam fidem, qui eſt eſſentialis, & fundamentalis apud illum, neminem, exceptis Apoſtolis, rectè credidiſſe & docuiſſe, ita vt ea doctrina noſtris temporibus perierit. & *tom: 1. Germ: Iſleb: in Comment: Exod: 18.* exiſtimat, ſi mundus aliquantulum ſteterit, puram & veram Chriſti cognitionem rurſus funditùs perituram, permanente quamuis nomine Chriſtiano. Huic loco ſeruit & illud teſtimonium Lutheri, ex *tom: 8. cit: quæſt: 6.* in quo aſſeuerat doctrinam ſuam, nimirum ſolam fidem iuſtificare, &c. nouam, & ſupra modum ſcandaloſam per vniuerſum orbem fuiſſe. Deniq; in Comitijs Wormatienſibus, Anno 1522. idem Lutherus dixit: Eccleſiam à tempore Concilij Conſtantien: defectionem ſiue Eclypſim, paſſam fuiſſe. Caluinus etiam *2. Inſtit: c. 2. Sect: 4.* affirmat: Liberum arbitrium eſſe in nobis, ſemper in Eccleſia Grçca & Latina creditum fuiſſe; cùm tamen ſecundum eundem, vt teſtantur Magdeburg: lib: mox citando, eſſentialis articulus fidei ſit: Non eſſe in nobis liberum arbitrium. Erat igitur tempus ſecundum Caluinum, cùm Eccleſiâ Chriſti Græcâ videlicet, & Latinâ, (quia alia non erat: & ſecundum ipſum Eccleſia Latina, & in Papatu erat aliquando vera Eccleſia Chriſti; quæ tamen ſemper ſecundum eundem contrarium docuit huic articulo eſſentiali) errabat in aliquo eſſentiali articulo fidei. Idem docet *4. Inſt: c. 9.* Eccleſiam veram primùm poſt tempora Gregorij Magni defeciſſe. Magdeburg: quoq; in Præfat: *Centur: 2.* docent: Eccleſiam Chriſti ab Anno Incarnationis eiuſdē 100. hoc eſt, ſtatim poſt obitum S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, de duobus fundamentalibus articulis fidei; nimirum de iuſtificatione, & libero arbitrio, nequaquam Proteſtantium, ſed Papiſtarum ſententiam à ſuis Doctoribus didiciſſe. In Confeſſione etiam fidei in Galliâ Caluiniſtarum, in *art: 31.* hæc haben-

Digitized by Google

habentur: *Tempore quo Status Eccleſiæ interruptus erat, ſuſcitauit Deus extraordinario modo homines, qui vaſtatam ac deſolatam Eccleſiam de nouo erigerent.* Deniq; communiter Lutherani & Caluiniſtæ, vt vidimus *quæſt: 5. 6. & 10.* docent: Eccleſiam Chriſti, antequã Lutherus & Caluinus Reformatores prodijſſent, cum reformatione Euangelij, & fundamenti, fuiſſe in Papatu, ſed erroribus plenam, (ijs ſcilicet, quibus iſti Reformatores contrarios mundum docuerunt eſſe eſſentiales fidei Chriſti) imò & apertâ Idololatriâ; quæ ſi ex ſcientia procedat, & non fictè, non eſt ſine errore contra fidem eſſentialem, vt per ſe patet. Igitur vniuerſa Eccleſia Chriſti errabat, & quidem in multis eſſentialibus fidei, & longo tempore.

Secundò. Quia Caluiniſtæ volunt Eccleſiam Lutheranã eſſe veram Eccleſiam Chriſti; vt vidimus ſupra *quæſt: 1.* admittunt tamen eam errare in articulo Cœnæ Euchariſticæ, qui eſt articulus eſſentialis. Similiter Lutherani concedunt, Eccleſiam Caluinianam eſſe veram Eccleſiam Chriſti, quam tamen aſſerunt errare in articulo Cœnæ Euchariſticæ, imò & in alijs; ſcilicet in articulo de Deo, de Baptiſmo, de Iuſtificatione: qui articuli ſunt eſſentiales. Ergo, &c.

Tertiò. Quia vnaquæq; harum Sectarum, aſſerit ſuam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam Chriſti, quæ tamen ex propria ſententia illorum, vt vidimus quæſt: præcedenti, errat in eſſentialibus fidei. Ergo, &c. Deniq; patet propoſitio ex *quæſt: 23.*

Ex dictis colligitur, nec fidem, nec Eccleſiam Lutheranam & Caluinianam eſſe veram fidem, & Eccleſiam Chriſti: ac proinde grauiſſimè perduelles fidei Miniſtros mundo imponere, dum his figmentis ac ſomnijs rudem plebeculam dementant. Tu expende, an non iuxta illius decretum, digni ſunt vt fumo puniantur, qui fumum vendunt.

QVÆSTIO XXI.

An Lutheranis & Caluiniſtis libri quatuor Regum, Paralipomenon duo, & Acta Apoſtolorum, ſint Canonica, & diuina ſcripta, ſeu, quod idem, ſint purum verbi Dei ſcriptum?

PROPOSITIO I.

SVnt.

Patet ex Canone, quem habent Lutherani & Caluiniſtæ, quamuis non idem ſit. Itaq; hanc concluſionem vtriq; vltro concedent, cùm ex ſuo Canone hos libros non excludant.

PROPOSITIO II.

NOn ſunt.

Hoc neceſſariò admittere debent Lutherani & Caluiniſtæ.

Probatur. Ratio, cur iſti reſpuant libros Machabæorum, & negant illos eſſe S. Scripturæ libros, eſt, quia continent contradictiones, vt ipſi fabulantur, circa mortem Antiochi & Iudæ, licet reuera non contineant; nam non de eodem Antiocho & Iuda, vt noſtri Interpretes dilucidè oſtendunt, in vtroq; loco ſermo eſt. Atqui etiam quatuor libri Regum, & duo Paralipomenon, & Acta Apoſtolorum, continent contradictiones ſimiles, imò maiores quàm libri Machabæorum. Igitur quatuor quoq; libros Regum, & duos Paralipomenon, & Acta Apoſtolorum, debent Lutherani & Caluiniſtæ reſpuere, ac negare eſſe S. Scripturæ libros, nec purum, putum verbum Dei. Maior propoſitio eſt Lutheranorum & Caluiniſtarum: hanc enim crepant, aliam ſi poſſunt adferant; aut nouam è ſuo cerebro Palladem confingant. Nam quod libri Machabæorum

non ſint

non ſint relati in antiquum Canonem Hebræorum, futile eſt admodum: tum quia prædicti libri nondum extabant, cùm ille Canon tempore Eſdræ conſignatus fuiſſet: in altero verò Canone à Iudæis, multis poſt annis, confectò inſerti fuerunt; tùm quia ob ſimilem rationem libri Noui Teſtamenti quoque reſpuendi eſſent. Traditio autem Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, à quâ immediatè & proximè Lutherani & Caluiniſtæ acceperunt (non aliundè enim) Euangelium, & alios libros, tam ueteris, quàm Noui Teſtamenti, quos agnoſcunt libros S. Scripturæ, æquè dicit libros eſſe Machabæorum, libros Canonicos & diuinos, ſicut & libros Regum, Paralipomenon, & Actuum Apoſtolorum. Et hæc continua traditio Eccleſiæ, deducitur à nobis vſq; ad tempora primitiuæ Eccleſiæ, quod Lutherani & Caluiniſtæ præſtare non poſſunt. Concilium enim Tridentinum libros Machabæorum eſſe Canonicos, accepit per traditionem à Concilio Florentino, quod plus quàm centum annis præceſſerat. Rurſus Patres Concilij Tridentini, acceperunt eoſdem per continuam traditionem à GELASIO Papa in Concilio Romano; vt patet ex *cap: S. Romana, diſtinct: 18.* Iterum Gelaſius ab Auguſtino *lib: 2. de doctrina Chriſtiana, cap: 8.* Auguſtinus verò accepit per eandem traditionem à Concilio Carthaginenſi 3. quod celebratum fuit Anno poſt natum Seruatorem 396. cui & S. Auguſtinus interfuit. Patres verò huius Concilij à Tertulliano aduerſus Iudæos, *cap: 4.* ille verò ab Origene *lib: 2. de princip: c. 1.* qui vixit circa Annum Domini 205. ille autem ab alijs. Minor verò propoſitio probatur. Nam 2. *Reg: 24.* ℣. *9.* dicitur: *Inuenta ſunt de Iſraël octingenta millia virorum fortium.* At de eodem omninò populo aliter habetur *1. Paralip: 21.* ℣. *5.* nimirum ex Iſraël fuiſſe *Mille millia, & centum millia virorum.* Præterea eodem *2. Reg: 24.* ℣. *13.* dicitur: Fames ſeptẽ annorum oblata eſſe Dauidi à Gad Propheta. At *1. Paralip: 21.* ℣. *12.* dicitur ab eodem Propheta, illo eodem tempore & occaſione, oblatam famem trium annorum. Item *3. Reg: 8.* ℣. *9.* habetur; nihil aliud fuiſſe in Arca, niſi duas tabulas lapideas. At *Hebr: 9.* ℣. *4.* fuiſſe præterea & vrnam auream, ha-

bentem Manna, & virgam Aaron. Deniq; *Act:7.℣.16.* Hemor vocatur filius Sichem. At *Ioſue vltimo, ℣.32.* idem Hemor eiuſdem Sichem appellatur Pater. Capite verò *13. Actuum,℣.21.* Saul dicitur regnâſſe annis 40. At *1. Reg: 13. ℣. 1.* habetur, duobus annis regnâſſe. Igitur libri Regum, Paralipomenon, & Actuũ Apoſtolorum, continent contradictiones, & maiores quàm libri Machabæorum; ac proinde ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum, è Catalogo librorum Canonicorum & diuinorum eijciendi, ac expungendi erunt. Sternant hunc Achillem glorioſi milites iſti, & triumphum victoribus decernemus.

QVÆSTIO XXII.

An Lutherani & Caluiniſtæ orent pro mortuis?

PROPOSITIO I.

NOn orant.

De quo etiam mirificè exultant, exiſtimantes grauem in fide errorem eſſe, Deo pro ijs, qui purgatorijs flammis expiantur, ſupplicare; vt oſtenſum eſt *quæſt:16.* imò & nos Pontificios, quia oramus pro talibus, irrident. Secuti exemplum Petrobruſianorum, de quibus ſic ſcribit D. Bernardus Serm:66. in Cant: *Videte*, inquit, *detractores, videte canes, irrident nos, quia baptizamus infantes, quia oramus pro mortuis.* Deniq; propterea iſti Purgatorium ſuſtulerunt; imò horribilem in Chriſtum blaſphemiam appellârunt. Legatur Caluinus *lib: 3. Inſt: c. 5.*

PROPOSITIO II.

ORant ipſi pro ſuis mortuis.

Probatur primò. Quia Lutherani & Caluiniſtæ orant aliquando, & quidem publicè, pro aliquibus ægrotis abſentibus, quos pu-

quos putant adhuc in morbo eſſe, cùm reuera vitâ functi ſint. Igitur orant pro mortuis. Quòd ſi dicet ſe non orare pro mortuis, quos ſciunt eſſe mortuos (id enim illicitum eſt) ſed quos putant eſſe viuos, ægrotos nihilominus: Contra eſt, tùm quia abſolutè quæſtio eſt, an licitum ſit orare pro defunctis; hoc eſt, ſiue ſciamus illos certò mortuos, ſiue non. Tùm quia ideo Aduerſarij docent, non licere orare pro mortuis, quos ſcimus eſſe mortuos, quia neſcimus de illorum ſtatu, in quo ſint: *Oratio enim,* inquiunt, *debet eſſe ex fide, fidei autem excludit omnem dubitationem.* Sed hæc eadem ratio militat contra ipſoſmet: orantes pro illis, quos putāt viuos eſſe cùm mortui ſint; neſciunt enim ſtatum illorum: viuinè an mortui. Igitur nec pro talibus mortuis licebit orare: tùm quia non extat in S. Scriptura, orandum eſſe pro mortuis, quos neſcimus eſſe mortuos; quod Argumentum magnum robur apud Aduerſarios habere debet: tùm quia non admittent Aduerſarij, licitum eſſe orare pro defuncto, quem quis putat eſſe defunctum, qui reuera viuus ſit. Ergo viciſſim non debent admittere, licere orare pro defuncto, quem quis putat eſſe viuum, cùm reuera mortuus ſit; par enim vtrobiq; eſt ratio: tùm quia Argumenta, quibus Aduerſarij ex Sacra Scriptura probant, non eſſe orandum pro mortuis; etiam adiecta hac limitatione, quos ſcimus eſſe mortuos, probant ſimiliter non eſſe orandum pro mortuis, quos putamus eſſe viuos, cùm non ſint. Expendant illa & excutiant Aduerſarij, & ita inuenient. Deniq; ſequens Argumentum apertè oſtendit, ſtramineam eſſe illorum reſponſionem.

Probatur ſecundò. Quia Lutherani & Caluiniſtæ non ſolùm plebs, ſed & Prædicantes, auditâ aut viſa alicuius morte ex ſuis, ſolent dicere: *Deus ſit propitius animæ illius*; quod non ſemel audiuimus ex ore illorum, & illi niſi perfrictæ frontis velint eſſe, negare non poſſunt. Hoc autem eſt orare pro mortuis, quos ſcimus eſſe mortuos; vt per ſe patet. Solent præterea Lutherani & Caluiniſtæ Prædicantes, etiam ex cathedris, in funeribus ſuorum dicere: *Deus det illi lætam reſurrectionem.* Recolligant ſe, an non ita faciāt: hoc autem quid aliud eſt, quàm

Digitized by Google

Oratio pro mortuis, quos ſciunt eſſe mortuos? Deniq; quæro ex Aduerſarijs, an ſoleant deſiderare, & licitè poſſint, amicis ſuis ſublatis è numero viuorum, vt illi perpetuò conſpectu Dei fruantur, & nihil moleſtiarum animæ illorum patiantur. Negare certè hoc, niſi ſint obliti ſui, non poſſunt. Iam ergo hoc ſuum deſiderium licitè Deo exponere poterũt, vt per ſe patet; ac proinde orabunt pro mortuis, quos ſciunt eſſe mortuos. Oratio enim pro ſe etiam accepta, non aliud eſt quàm actio, quâ petitur aliquid à Deo, ſeu decentium bonorum à Deo petitio; vt vidimus *quæſt: 8.* quod etiam docet Damaſc: *lib: 3. de fide. c. 24.* Baſilius *Oratione in Martyrem Iulitam.* & Gregorius Niſſenus, *Oratione 2. de Oratione Dominica.* Et hoc ſemper fecit Eccleſia Chriſti, etiam à temporibus Apoſtolorum, ſed nec ſolùm orabat pro mortuis, verùm & Sacrificia offerebat; vt teſtis eſt Tertullianus, in *lib: de Corona militis.* Chryſoſtom: *Hom: 69. ad populum*; vbi etiam docet, id non ſolùm factitatum fuiſſe, ſed & ſancitum ab Apoſtolis: *Non temerè*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs, Defunctorum agatur commemoratio.* Deniq; Auguſt: in lib: de cura pro mortuis: *In Machabæorum*, inquit, *libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etſi nunquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parua tamen eſt Eccleſiæ vniuerſæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas; vbi in precibus Sacerdotis, quæ D. Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Verùm & ipſi Aduerſarij fatentur, antiquiſſimum morem eſſe, orare & ſacrificare pro mortuis. Ita Centuriatores, vt vidimus. Caluinus lib: de verâ Eccleſiæ reformandæ ratione: *& ideò*, inquit, *probatus fuit Auguſtino, Chryſoſtomo, Epiphanio, & alijs. Chryſoſtomus verò*, inquit, *fert illum ab Apoſtolis acceptum fuiſſe.* lib: verò 3. Inſt: c. 2. admittit à mille & trecẽtis annis, preces pro mortuis in vſu fuiſſe apud Chriſtianos. Beza etiam in *Præfatione Noui Teſtamenti*, admittit hoc ipſum. Zuinglius in *Epichereſi, de Canon: Miſſæ, tom: 1.* Bulingerius Zuinglij collega, decade 4. Serm: 10. *Antiquiſſimus*, inquit, *Doctor, Chryſoſt: & Auguſtinus docet.* Nec Lutherus negat, ac proinde ita credendum eſſe, affirmare debet: Nam *vbi opus Dei eſt*, vt ille ait, quod

ait, quod videbimus quæſt: ſeq: *æquè tenemur credere, ac ſi ex verbo Dei probaretur.* Opus autem Dei eſt, diuturna & perpetua alicuius articuli fides in Eccleſia, &c. Sed orandum eſſe pro mortuis, extat etiam in S. Scripturâ, non ſolùm apud Machab: vt affirmat S. Auguſt: ſed etiam apud Apoſtolum, *1. ad Cor: 15.* vbi ille ſuſcitationem corporum, & animorum immortalitatem probat ex precibus, & pijs operibus, quæ mortuorum causâ ſuſcipiuntur: *Quid facient*, inquit, *qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* quæ verba non de Baptiſmi Sacramento intelliguntur, vt per ſe patet; ſed de Baptiſmo Pœnitentiæ, & voluntaria afflictione. quem etiam intelligebat Seruator noſter, cùm de morte ſuâ ageret: *Baptiſmo debeo baptizari, &c.* & quia hic locus redarguebat Aduerſarios, ecce tibi Geneuenſis ranuncula, limo loricata perfidiæ, cænoſum per ſanas paginas ſyrma trahens, huic quoq; loco tenebras offudit, dum legendum contendit: *Quare baptizantur vt mortui?* quod non dixit Paulus: nec ſi hoc dixiſſet, illud quod intendebat concluſiſſet. Deniq; orandum eſſe pro mortuis, extat etiam apud Hierem: *Thren: 2.* qui liber eſt Canonicus Aduerſarijs. Exhortatur enim ibi ille populum ad hanc Orationem, dicens: *Leua ad eum*, (id eſt ad Deum, de Deo enim ibi eſt ſermo, ad quem etiam vult vt effundant corda ſua) *manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Eleuatio autem manuum, ad Orationem pertinet; vt patet *Exod: 17. Pſal: 133. & 140. 1. Tim: 2.* Nomine paruulorum, intelliguntur rudes, qui mortui ſunt Hieroſolymæ in obſidione fame.

PROPOSITIO III.

LVtherani & Caluiniſtæ non admittunt Purgatorium, & admittunt.

Primum patet ex 1. propoſ. alterum ex ſecundâ. Ideò enim ſuſtulerunt Purgatorium, quia negant orandum eſſe pro mortuis: iam verò cùm orent pro illis, rurſus illud admittunt.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

An ex ſententiâ Lutheri, Caluini, & aliorum gregalium, erret in eſſentialibus fidei Eccleſia Catholica Romana, ſeu quæ eſt in Papatu: & ſitnè illa vera Chriſti Eccleſia?

PROPOSITIO I.

ERrat, ex ſententia illorum.

Quâ oſtendunt nimis hoc ipſis certum eſſe. Patet deinde ex libris illorum, & dictis ſupra in pluribus quæſtionibus. Non poſſunt tamen conuenire inter ſe, imò nec ſecum quiſque, quo tempore Eccleſia Pontificia cœperit errare in eſſentialibus. Nam Caluinus, vt vidimus *quæſt: 16. & 20.* docet, ad ætatẽ Auguſtini, non errâſſe, ſed primùm poſt tempora Gregorij Magni, & defeciſſe etiam; ac propterea *4. Inſt: c. 9.* quatuor priora Concilia Oecumenica ſe venerari proteſtatur. Lutherus verò in *Comment: ad Gal: 5.* vt vidimus *quæſt: 16.* docet, Eccleſiam Pontificiam, ſeu in Papatu, vſq; ad annum Chriſti quingenteſimum, nec mutâſſe, nec errâſſe in doctrina tradita ab Apoſtolis, ſeu in eſſentialib[illegible]idei articulis. Idem tamen *lib: C. quæſt: 20.* ſcilicet in Comitij[illegible]ormatien: docet, à tempore Concilij Conſtant: defectionem paſſam eſſe; quod Concilium fuit circa Annum Chriſti 1400.

PROPOSITIO II.

NOn eſt, ex ſententia ipſorum, Eccleſia Pontificia, vera Eccleſia Chriſti.

Sequitur hoc neceſſariò ex præcedenti propoſitione.

PROPO-

PROPOSITIO III.

NOn errat in eſſentialibus fidei articulis Eccleſia Pontificia, ex ſententia Lutheri, Caluini, & aliorum gregalium.

Probatur primò. Ita expreſſè Lutherus in lib: ad duos Parochos, de Anabaptiſmo, quem ſcripſit Anno 1528. qui extat in *tom: 2. Germ: Vitemb.* & in *tom:4. Ienen*: vbi inter alia hæc habentur: *In Papatu eſt verus Catechiſmus,* (in hoc autem Confeſſio, ſeu doctrina eſſentialium articulorum fidei traditur) *eſt etiam vera Chriſtianitas, imò verus nucleus Chriſtianitatis, multiq; magni Sancti.* In Comm: verò Ioann: 16. tom: 4. Germ: Vitemberg: & tom: 7. Ienen: *Cogimur itaq; dicere: Credo, & certus ſum, in Papatu Eccleſiam permanſiſſe.* Et in *lib: de Miſſa priuata, tom: 6. Ienen:* enumeratis ijs quæ ſunt, & permanebant in Papatu. v. g. Confeſſione, Prædicatione, Sacramẽtorum adminiſtratione, & alijs. Sic concludit de eodem Papatu: *Vbi ergo eiuſmodi capita remanſerunt, ibi certiſſimè etiam Eccleſia, & aliquot Sancti manſerunt.* Eccleſia enim non ſolùm ex ſententia Chriſti, ſed etiam ex ſententia Lutheri, non permanet, ſi in eſſentialibus articulis fidei errat. Et Philippus Melanchton in *Confeſſione Auguſtana,* (quam omnes Lutherani & Caluiniſtæ, non pauci admittunt,) cuius ipſe fuit architectus: hinc probat Lutheranos non eſſe Hæreticos, nec errare in eſſentialibus fidei; quoniam doctrina illorũ, quantum ad articulos fidei attinet, neq; à S. Scripturâ, neq; ab Eccleſia Romana, neq; ab Eccleſia Catholica diſſentit; tota diſſenſio eſt de paucis quibuſdam abuſibus. Et infra: *Cùm Eccleſia apud nos, de nullo articulo fidei diſſentiat ab Eccleſia Pontificia, tantùm paucos quoſdam abuſus omittat.* Deniq; ibidem ſic ait: *Etiamſi inter nos & Papiſtas, diſſimilitudo ſit quædam in traditionibus humanis, tamen non propter hoc quis habendus eſt Hæreticus, aut deſertor Eccleſiæ Catholicæ: nam vnitas illius conſiſtit in doctrinæ & fidei conſenſu, non in traditionibus humanis.* Deniq; Caluinus, nam Confeſſionem Melan-

chtonis citatam admittit,& laudat. Sadoleto verò cùm reſpõdet, fatetur Eccleſiam, cui Pontifex Romanus præſidet, Chriſti Eccleſiam exiſtimandam,ac proinde non errare in eſſentialibus,(quod idem docuit Zanchius in Præfatione ſuæ Confeſ.) Deniq; *lib: 1. Inſt: c. 11. §. 18. & lib: 4. c. 2. §. 3.* docet, primis 500. annis viguiſſe ſynceram & Catholicam doctrinam in Eccleſia Romana.

Probatur ſecundò. Lutherus in *Comment: ad Gal: tom: 1. Germ: Vitemb:* docet Hilarium, Cyrillum, Athanaſium, Ambroſium, & alios Euangelium & fidem in Chriſtum, purè & ſine omni ſuperſtitione docuiſſe. Sed Eccleſia Pontificia idem nunc docet in omnibus eſſentialibus articulis fidei, quod & illis temporibus; ſi ſecus, arguant eam Aduerſarij de errore. Igitur nec illa in his errat.

Tertiò & vltimò. Nulla hactenus Hæreſis fuit, quæ diu, continuè ſcilicet duráſſet,ac non potiùs celerem perditionem, vt ait S. Petrus, ſibi ſuperinduxiſſet, breuiq; manifeſtata, & ludibrio habita fuiſſet Fides autem Eccleſiæ Pontificiæ in omnibus ijs, in quibus diſſentit ab Eccleſia Lutherana & Caluiniana, diu durauit in mundo, & durat hucuſque, nimirum mille amplius annis. Igitur fides Eccleſiæ Pontificiæ, in ijs, in quibus diſſentit ab Eccleſia Lutherana & Caluiniana; non eſt Hæreſis, ac proinde vera fides. Maior eſt etiam Lutheri, *tom: 4. Germ: Ienen:* aduerſus Anabaptiſtas. *& tom: 2. Germ: Vitember.* Sic enim illis locis probat, contra Anabaptiſtas, articulum fidei, de baptizandis paruulis, qui eſt eſſentialis, non eſſe Hæreſim, quia durauit nimirum per mille annos, & per vniuerſam Chriſtianitatem; quod Deus non permiſiſſet, ſi fuiſſet Hæreſis. Imò ibidem dicit, & in maiori Catechiſmo, in 4. p. de Baptiſmo: *Quamuis paruulorum baptiſmus neceſſarius ad ſalutem adipiſcendam, non poſſit probari ex S. Scripturâ*; (Audite Euangelici, Lutherani, & Caluiniſtæ: loquitur autem abſolutè,) *tamen firmiter credendus eſt*; (ſed hoc Caluinus credere non vult, vt videbimus quæſt: 29.) *licet non ex verbo Dei, ſed ex opere Dei. nam vbi opus Dei videmus, æquè credere tenemur*; (Notate) *quàm vbi verbum eius audimus.*

dimus. Paruulorum autem, inquit, *Baptiſmus, ex opere Dei probatur, nimirum ex diuturnâ & perpetuâ illius duratione in Eccleſia, & per vniuerſum Chriſtianiſmum, quod non potuit, niſi virtute Dei fieri.* Sed idem argumentum Lutheri, alios quoq; eſſentiales articulos fidei, quos Eccleſia Pontificia docet, & ipſe tanquam errores reſpuit, veros eſſe probat. Minor verò eſt certa per ſe, & admittitur à Luthero, Caluino, & gregalibus eorum. Hic non poſſum obliuiſci Iacobi Zaborovvski, qui videns obijci ſibi à Martino Smiglecio viro doctiſſimo, & malleo Arianorum huius ſæculi: Non extare in S. Scripturâ, paruulos eſſe baptizandos, nec poſſe eos ſine baptiſmo ſaluari, qui articulus fidei ipſis etiam eſſentialis eſt: reſpondit *lib: cit:* ſupra, contra Lutherum, extare id in S. Scriptura; (ô brutum Lutherum) nimirum *Act: 16.* ibi enim docetur, Paulum baptizâſſe Lydiam, & totam domum eius, ac proinde & infantes. Ibidem etiam habetur: Cuſtodem carceris ab eodem Paulo, & omnem domum eius baptizatam eſſe. Egregiam profectò probationem. vnde enim iſte habet in illâ domo fuiſſe infantes? Deinde domus ibi, ſicut & alibi, cùm ſermo eſt de fide & baptiſmo, pro adultis tantùm accipitur. Ita patet ex eodem *cap: Act:* ℣. *34.* poſtquam dictum eſt, baptizatam domum, additum: *Lætatus eſt, credens Deo cum omni domo ſuâ;* id eſt cum omnibus, qui poterant aſſenſum fidei elicere, quales non ſunt infantes. Non enim dicet Zaborovvski, infantes ipſos in perſonâ ſua tunc crediſſe, quod tamen deberet admittere, ſicut baptizatos eſſe in propria perſona, dixit & intulit, ex vi ſolius illius verbi: *Tota domus*, & ℣. 32. antequam baptizarentur, *locuti ſunt*, Paulus & Silas, *verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo eius.* Nunquid & cum infantibus? Et *c. 10.* Cornelius *religioſus ac timens Deum, cum omni domo ſua.* nunquid etiam infantes, actus religionis & timoris Dei exercuerunt? Deniq; *Ioan: 4.* Regulus dicitur, cum tota domo ſuâ crediſſe: *Credidit ipſe, & domus eius*; quod de paruulis intelligi non poteſt.

Digitized by Google

chtonis citatam admittit, & laudat. Sadoleto verò cùm reſpõdet, fatetur Eccleſiam, cui Pontifex Romanus præſidet, Chriſti Eccleſiam exiſtimandam, ac proinde non errare in eſſentialibus, (quod idem docuit Zanchius in Præfatione ſuæ Confeſ.) Deniq; *lib: 1. Inſt: c. 11. §. 18. & lib: 4. c. 2. §. 3.* docet, primis 500. annis viguiſſe ſynceram & Catholicam doctrinam in Eccleſia Romana.

Probatur ſecundò. Lutherus in *Comment: ad Gal: tom: 1. Germ: Vitemb:* docet Hilarium, Cyrillum, Athanaſium, Ambroſium, & alios Euangelium & fidem in Chriſtum, purè & ſine omni ſuperſtitione docuiſſe. Sed Eccleſia Pontificia idem nunc docet in omnibus eſſentialibus articulis fidei, quod & illis temporibus; ſi ſecus, arguant eam Aduerſarij de errore. Igitur nec illa in his errat.

Tertiò & vltimò. Nulla hactenus Hæreſis fuit, quæ diu, continuè ſcilicet duràſſet, ac non potiùs celerem perditionem, vt ait S. Petrus, ſibi ſuperinduxiſſet, breuiq; manifeſtata, & ludibrio habita fuiſſet Fides autem Eccleſiæ Pontificiæ in omnibus ijs, in quibus diſſentit ab Eccleſia Lutherana & Caluiniana, diu durauit in mundo, & durat hucuſque, nimirum mille amplius annis. Igitur fides Eccleſiæ Pontificiæ, in ijs, in quibus diſſentit ab Eccleſia Lutherana & Caluiniana; non eſt Hæreſis, ac proinde vera fides. Maior eſt etiam Lutheri, *tom: 4. Germ: Ienen:* aduerſus Anabaptiſtas. *& tom: 2. Germ: Vitember.* Sic enim illis locis probat, contra Anabaptiſtas, articulum fidei, de baptizandis paruulis, qui eſt eſſentialis, non eſſe Hæreſim, quia durauit nimirum per mille annos, & per vniuerſam Chriſtianitatem; quod Deus non permiſiſſet, ſi fuiſſet Hæreſis. Imò ibidem dicit, & in maiori Catechiſmo, in 4. p. de Baptiſmo: *Quamuis paruulorum baptiſmus neceſſarius ad ſalutem adipiſcendam, non poſſit probari ex S. Scripturâ;* (Audite Euangelici, Lutherani, & Caluiniſtæ: loquitur autem abſolutè,) *tamen firmiter credendus eſt;* (ſed hoc Caluinus credere non vult, vt videbimus quæſt: 29.) *licet non ex verbo Dei, ſed ex opere Dei. nam vbi opus Dei videmus, æquè credere tenemur;* (Notate) *quàm vbi verbum eius audimus.*

Digitized by Google

dimus. Paruulorum autem, inquit, *Baptiſmus, ex opere Dei probatur, nimirum ex diuturnâ & perpetuâ illius duratione in Eccleſia, & per vniuerſum Chriſtianiſmum, quod non potuit, niſi virtute Dei fieri.* Sed idem argumentum Lutheri, alios quoq; eſſentiales articulos fidei, quos Eccleſia Pontificia docet, & ipſe tanquam errores reſpuit, veros eſſe probat. Minor verò eſt certa per ſe, & admittitur à Luthero, Caluino, & gregalibus eorum. Hic non poſſum obliuiſci Iacobi Zaborovvski, qui videns obijci ſibi à Martino Smiglecio viro doctiſſimo, & malleo Arianorum huius ſæculi: Non extare in S. Scripturâ, paruulos eſſe baptizandos, nec poſſe eos ſine baptiſmo ſaluari, qui articulus fidei ipſis etiam eſſentialis eſt: reſpondit *lib: cit:* ſupra, contra Lutherum, extare id in S. Scriptura; (ô brutum Lutherum) nimirum *Act: 16.* ibi enim docetur, Paulum baptizâſſe Lydiam, & totam domum eius, ac proinde & infantes. Ibidem etiam habetur: Cuſtodem carceris ab eodem Paulo, & omnem domum eius baptizatam eſſe. Egregiam profectò probationem. vnde enim iſte habet in illâ domo fuiſſe infantes? Deinde domus ibi, ſicut & alibi, cùm ſermo eſt de fide & baptiſmo, pro adultis tantùm accipitur. Ita patet ex eodem *cap: Act:* ℣. *34.* poſtquam dictum eſt, baptizatam domum, additum: *Lætatus eſt, credens Deo cum omni domo ſuâ*; id eſt cum omnibus, qui poterant aſſenſum fidei elicere, quales non ſunt infantes. Non enim dicet Zaborovvski, infantes ipſos in perſonâ ſua tunc crediddiſſe, quod tamen deberet admittere, ſicut baptizatos eſſe in propria perſona, dixit & intulit, ex vi ſolius illius verbi: *Tota domus*, & ℣. 32. antequam baptizarentur, *locuti ſunt*, Paulus & Silas, *verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo eius.* Nunquid & cum infantibus? Et *c. 10.* Cornelius *religioſus ac timens Deum, cum omni domo ſua.* nunquid etiam infantes, actus religionis & timoris Dei exercuerunt? Deniq; *Ioan: 4.* Regulus dicitur, cum tota domo ſuâ crediddiſſe: *Credidit ipſe, & domus eius*; quod de paruulis intelligi non poteſt.

PROPOSITIO IV.

ECcleſia Romana ſeu Pontificia, eſt vera Eccleſia Chriſti, ex ſententia Aduerſariorum.

Sequitur id neceſſariò ex præcedenti propoſitione, & diſertè docetur à Luthero, Caluino, & alijs.

Colligitur ex dictis primò, Eccleſiam illam, quæ damnauit omnes prædictos errores, quos vidimus *quæſt: 16.* fuiſſe veram Eccleſiam Chriſti; nam omnes illi, ſaltem ante expletum quingenteſimum annum Chriſti, ab Eccleſia Pontificia, quo tempore illa non errabat, ex ſententia Lutheri & Caluini, &c. damnati fuerunt.

Colligitur ſecundò, articulum de iuſtificatione noſtra, per ſolam fidem: item articulum de ſeruo arbitrio, non eſſe doctrinam ab Apoſtolis acceptam, ſed errorem, & ſcandalum, contra id, quod docent Lutherus, & Caluinus; vt vidimus *q. 20.*

Colligitur tertiò, Eccleſiam Lutheranam & Caluinianã, ex ſententia ipſorummet, non eſſe veram Eccleſiam Chriſti, ſed Hæreticam, ſiquidem diſſidet in eſſentialibus fidei ab Eccleſia Pontificia, quæ ex ſententia ipſorum, eſt vera Eccleſia Chriſti.

QVÆSTIO XXIV.

An Caluinus vt Caluinus, ex propriâ ſententia, ſit Idololatra?

REſpondeo: Eſt.

Probatur. Caluinus docet, *lib: 4. Inſt: c. 17.* Cœnæ Symbolis, quæ ſecundum ipſum propriè & realiter ſunt ſolùm puræ creaturæ, panis nimirum & vinum; vt vidimus *quæſt: 1.* honorem tribuendum eſſe. Intelligit autem non Politicum, vel ciuilem. Primò, quia non propter poteſtatem aliquam, vel dignitatem

gnitatem

Digitized by Google

gnitatem ciuilem, exiſtimat exhibendũ; talis enim illis Symbolis non competit, quod ille benè ſciebat, imò nec competere poteſt: vnde Politicus honor nonniſi ſtultè ſignis poſſet exhiberi. Secundò, quia honorem, qui ſignis Cœnæ exhibetur, apertè irreuerentiæ prophanæ opponit: *Rei*, inquit, *ſunt impij, Corporis Domini, quòd myſterium prophanauerunt, quod reuerenter ſuſcipere debebant.* igitur vult religioſum honorem exhiberi debere, igitur religioſum honorem intelligit. Religioſus autem honor exhibitus puræ creaturæ, ſecundum ipſum eſt Idololatria, nam hic nonniſi ſoli Deo debetur: vnde omnis religioſus honor, apud ipſum & gregales, eſt diuinus. quod patet ex lib: illorum, & ex *quæſt: 12.* & certè non ob aliam cauſam ipſe cum ſocijs, ſæpè Pontificios, & Eccleſiam Pontificiam Idololatras, & Idololatricam vocat; niſi quia religioſum honorem Sanctis, v. g. exhibemus. imò, quia tali etiam honore veneramur Sacramentum Euchariſtiæ, in quo, ſciebat nos credere contineri verè ac realiter Corpus & Sanguinem Chriſti: nihilominus tamen ipſe, & ſequaces ipſius, etiam nunc iniquè ſatis, idolorũ cultores nos appellant. Igitur Caluinus ex propriâ ſententiâ, & ſociorum eſt Idololatra, & hoc ipſum omnibus ſequacibus illius conuenit. Iſti enim omnes honorem religioſum ſignis Cœnæ Domini, (quæ etiam puras creaturas eſſe credunt, & ſigna tantum Corporis & Sanguinis Chriſti, vt vidimus *quæſt: 1.*) exhibent. Alij enim illorum, dum Cœna diſtribuitur, ſtant; ita Synagogæ in Lituaniâ vltra Villiam præſcribunt, & hoc in Synodo Vilnenſi Anno 1592. ſibi impetrârunt, aut potiùs extorſerunt; putant enim ſedere tunc irreuerentiã eſſe. Alij verò ſedent, aperto tamen capite, propter reuerentiã Sacramenti.

Simile argumentum fieri poteſt contra Caluinum, imò & Caluiniſtas, circa illum honorem, quem homini fideli & iuſto, propterea quia amicus Dei eſt, aut Sanctus, docent exhibendum eſſe; iuxta illud Pſal: 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Hic enim honor, ſeu exhibitio huius honoris non eſt politica, ſed religioſa; ac proinde ex ſententia illorum Idololatrica: vel ſi non; cur animæ Sanctorum hominum, qui ex

Digitized by Google

hac vita in gratia Dei deceſſerunt, & imagines Chriſti ſimili honore non poſſunt à nobis ſine Idololatria honorari? Quare ergo nobis id vitio vertunt Caluiniſtæ cum ſuo Caluino, & condemnant in nobis quod ipſi faciunt,& ſine peccato ſe facere arbitrantur?

Quæro tandem ex Aduerſarijs, quali honore, imò quali adoratione præcipit Propheta *Pſal: 98. ℣. 15.* adorandum eſſe ſcabellum pedum Dei; id eſt, vel Arcam Teſtamenti; vt ipſe Deus indicat, *Iſa: 66. & 1. Paralip: 28.* quod fatentur autores Annotationum ad Biblia Geneuēſia, impreſſa Anno 1565. & 1588. & factitâſſe Iudæos patet ex *7. Ioſue*, vbi ipſe, & totus populus procidit in terram coram Arcâ, (Propitiatorium enim quod erat ſuper Arcam,& tenebatur à Cherubim,ſedes Dei erat) vel Terram, vt Chriſtus Dominus explicauit, Matth: 5. *Nolite iurare per terram, quia ſcabellum pedum Dei eſt.* & *Act: 7.* Nec aliud quid ex S. Scripturâ, ſcabellum pedum Dei, præter hæc duo allata ſignificare poteſt oſtendi. Certè non politicâ vel ciuili, vt patet ex iam dictis, & ex principijs ipſorummet Aduerſariorum conſtat; & deniq; ex ratione, quam S. Propheta eodem Pſal: adfert: *Quia Sanctum eſt.* Vel etiam ſi legatur, *quia Sanctus*; id eſt, propter Deum Sanctum. ergo religioſa,nec tamen Idololatrica, vel diuina.

Diſcant igitur Aduerſarij, non ſoli Deo poſſe exhiberi licitè honorem religioſum, imò & adorationem exteriorem, ſcilicet exhibitionem honoris, etiam per genu flexionem, vel proſtrationem corporis,qualem & ſecundam magis adorationem, Propheta eo loco intelligit; vt patet ex tex: Hebr. Multò verò magis diſcant,adorationem non eſſe abſolutè redditionē honoris Deo, vt multi illorum exiſtimant. Nam datur adoratio & ciuilis, & religioſa; vt patet ex dictis, & ex *3. Reg: 1.* vbi Nathan adorâſſe pronus Dauidem legitur: & ex *2. Reg: 14.* vbi Ioab eundem Dauid: & ex *Iudith c. 13.* vbi Achor coram Iudith procidiſſe narratur: & deniq; ex *Act: 16.* Cuſtos ante S. Paulum procidiſſe refertur, quem ille ob hoc nec reprehendit, nec impediuit. Soli ergo Deo debetur adoratio, ſed ita vt procedat ex inter-

ex internâ agnitione, vt Creatoris & primi principij, cui humiliatio & reuerentia debetur. Alij autem poſſunt etiam licitè adorari religioſè, vel propter reſpectum, ſeu relationem ad Deum, quia ſcilicet ſunt amici Dei: vel per ſe, ex alia tamen internâ agnitione, ſcilicet excellentiæ alicuius creatæ, non ciuilis, ſed v. g. Sanctitatis, quæ in illis reperitur; vel viſionis beatæ, quia iam Deum facie ad faciem vident. quæ adoratio non erit ciuilis ſed religioſa, neque tamen Diuina, multò minus Idololatrica. Diſcant denique omnem æſtimationem honoris, vel excellentiæ alicuius, eſſe cultum: vel ciuilem aut politicum, (qui tamen propriè non ita ſolet vocari cultus) vel religioſum; & hunc aut creatum in hoc ſenſu, quia creaturæ fit; vel diuinum, quia Deo: pro diuerſitate ſcilicet excellentiæ, circa quam eſt illa æſtimatio interior. Nam excellentia ſeu poteſtas, aut eſt ciuilis, aut ad religionem pertinens; & hæc vel creatoris, & tanquam primi principij, vel creata, non ciuilis, ſed ſuperior. v. g. Sanctitatis, virtutum ſupernaturalium, viſionis & amicitiæ Dei, deniq; Maternitatis Dei. Cultus autem exterior eſt actio, vel cæremonia exterior, quæ procedit ex illâ interiori æſtimatione, quâ declaratur cultus interior. nam ſi illa actio vel cæremonia, quâ exterior honor exhibetur, non procederet ex illa interiori æſtimatione excellentiæ, non eſſet verè exhibitio honoris & cultus, ſed irriſio: qualis fuit ille, quem Chriſto exhibebant milites in Prætorio genu flectentes, & dicenres: *Aue Rex Iudæorum.* Sunt autem quædam actiones communes ad declarandum cultum religioſum, & Deo, & homini, & Angelo; vt v. g. inclinatio, proſtratio, laudatio, &c. & tunc ratione tantum cultûs interioris, diuerſificabuntur illi cultus exteriores: non verò per ſe. Quædam verò actiones externæ ſunt ſolius cultûs Dei propriæ, vt oblatio ſacrificij, quod docet S. Auguſt: *10. de ciuit: Dei, c. 4.* & proteſtatio voce, eſſe aliquem ſummum, bonum, Creatorem. hæc enim ſoli Deo competunt.

QVÆSTIO XXV.

Quid ſentiunt Lutherani & Caluiniſtæ, de bonis operibus fidelium?

PROPOSITIO I.

DOcent omnia bona opera fidelium iuſtorum, eſſe naturâ ſuâ peccata mortalia, & meras iniquitates, quibus damnationem æternam mereantur.

Ita expreſſè Lutherus *art: 31. vel 32.* ſecundum aliam impreſſionem. Caluinus *lib: 1. Inſtit: c. 12. par: 4.* & alijs locis citatis à Crucio in Monitis; vbi etiam refert & aſſeclas iſtorum, qui idē planè, quod & illi aſſerunt. Vidimus etiam ſupra *quæſt: 15.* hanc eſſe ſententiam omnium Rigidorum Caluiniſtarum, in Belgio. Et probant iſti omnes hunc ſuum errorem ex S. Scripturâ, Iſa: 64. *Vniuerſa iuſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruatæ.* Prouerb: 24. *Septies in die iuſtus cadit.* 1. Ioan: cap: 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Iob 15. *Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere.* Propterea ergo Lutherani & Caluiniſtæ, contra expreſſam authoritatem S. Scripturæ, cum alias, tùm Ezech: 26. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* & *Rom: 2.* vbi dicit Apoſtolus: & *Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt, facere*, affirmant, legem Dei ſimpliciter impoſſibilem eſſe ſeruatu, nec ab vllo Sancto etiam hactenus ſeruatam eſſe; vt vidimus *quæſtione 11.* Propterea quoq; Ambſdorfius Lutheranus Rigidus, Concionator Magdeburgicus, dixit: Bona opera eſſe pernitioſa ad ſalutem. Deniq; ideò iſti omnes, negant bona opera iuſtificare homines: quod etiam patet ex *quæſtione 14.*

PROPO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

DOcent ijdem, nō omnia opera bona iuſtorum, eſſe peccata maximè mortalia.

Probatur. Quia fides vera Chriſtiana, non eſt peccatum mortale, cùm iuſtificet homines, ex ſententia etiam Aduerſariorum; & tamen hæc fides eſt opus bonum iuſtorum fidelium: quod negare non poſſunt, ſi ſanæ mentis ſunt, cùm huiuſmodi fides ſit actio noſtra, actio inquam intellectus noſtri, imò & voluntatis. nos enim ſumus, non verò Deus, qui credimus, hoc eſt rebus à Deo reuelatis, propter authoritatem diuinæ reuelationis, aſſentimur: quamuis non ſine auxilio diuinæ gratiæ nobiſcum operantis. Et propterea Chriſtus Dominus dicere ſolebat: *Fides tua, te ſaluum facit.* Hinc verò, quia ſcilicet fides noſtra eſt donum Dei, non licet inferre, non eſſe opus noſtrum. nam etiam alia opera fidelium ſunt dona Dei, (vt colligitur ex illo Apoſtoli dicto, 2. Cor: 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; & ex alijs locis S. Scripturæ.) & nihilominus ſunt opera noſtra & bona quidē. Nullo modo etiam Lutherani & Caluiniſtæ, audebunt dicere: Charitatem, (ad quam nos adhortatur S. Ioannes 1. ſuâ epiſt: & de qua maxima & mirabilia affirmat; v. g. quòd per eam in Deo maneamus, & per eam manendo non peccemus) qua ſcilicet diligimus Deum propter Deum: eſſe peccatum mortale, maximè naturâ ſuâ; quæ tamen charitas eſt opus bonum hominis iuſti; nos enim ſumus qui amamus. Et idem dico de Spe, quam elicit iuſtus, & in Deo habet: v. g. aut remiſſionis peccatorum, aut vitæ æternæ, videlicet viſionis beatificæ: quæ ſpes eſt bonum opus hominis iuſti. nos enim ſumus qui ſperamus; neq; peccatum mortale: cùm huiuſmodi ſpes, vt docet S. Ioannes, *l. c. cap: 3.* ſanctificat hominem, ita vt ille homo ſanctus ſit, ſeu homo huiuſmodi ſpe ſeipſum ſanctificet. En Lutherani & Caluiniſtæ, habetis clarè ex S. Scripturâ, non ſolam fidem iuſtificare. Sed vidimus iam manifeſtè *quæſt: 19.*

 Lutherum

Digitized by Google

Lutherum ac Caluinum, aſſeclaſq; eorum expreſſe docere, non ſolā fidem iuſtificare homines: iuſtificabunt ergo & alia opera bona illorum, facta in gratia, & ex gratia Dei. Non erunt igitur talia opera peccata mortalia, nam huiuſmodi facta non iuſtificant hominem, ſed priuant iuſtitia, coinquinant, ac filiū Diaboli, vt ait S. Ioannes, *l. c.* efficiunt. Sed neq; conuerſionē peccatoris ad Deum, (quæ non eſt fides, ſed noſtrum bonum opus, & donum Dei) quia peccator actu conuertitur ad Deum, dicent eſſe peccatum vllo modo: nam ſic non eſſet conuerſio ad Deum, ſed auerſio; & nunquam homo verè conuerteretur ad Deum, ſed auerteretur: actu enim peccati homo à Deo auertitur; vt per ſe patet. Denique, neq; Eleemoſynam, quâ propter Deum indigenti ſubuenimus; maximè cùm eam S. Paulus, miſſam ſibi à Philippenſibus vocet, c. 4. *Odorem ſuauitatis, Hoſtiam acceptam, placentem Deo*; non meram iniquitatem, vt nec diſplicentem Deo, & æternam damnationem promerentem.

Ad probandam etiam hanc ipſam propoſitionem, facit illud, quod *quæſt: 11.* ex Buchenhagio attulimus; vbi de ſe, & alijs Lutheranis affirmat, quod confidant in bonis operibus, quamuis non in illis quæ ſunt propria Papiſtarum. Denique patebit propoſitio ex dicendis.

PROPOSITIO III.

Bona opera, ſecundum Lutheranos & Caluiniſtas, non ſunt neceſſaria ad vitam æternam.

Patet ex *quæſt: 19. & 1. propoſ:* hîc; nam cùm omnia bona opera, ex ſententia ipſorum, vt vidimus, ſint peccata mortalia, quibus iuſti merentur damnationem æternam: & peccata mortalia nullo modo dici poſſunt eſſe neceſſaria homini fideli, vt vitam æternam conſequatur; (niſi fortè ita tenendum eſſet: Si vis ad vitam ingredi, fac peccata mortalia; quod Chriſtus Dominus non dixit: ſed, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*;) ſequitur neceſſariò, neq; bona opera quoq; eſſe neceſſaria ad vitam æternam, iuxta eorundem ſententiam.

PROPO-

PROPOSITIO IV.

BOna opera, ſecundum Lutheranos & Caluiniſtas, ſunt neceſſaria ad vitam æternam

Patet ex *quæſt: 19. & ex 2. propoſ:* hîc. Deniq; hoc clarè fatentur Auguſtanæ Confeſſionis architecti, & alij; imò quidam obliti priorum ſuorum dictorum, dicunt, charitatem & ſpem eſſe virtutes neceſſarias ad vitam æternam obtinendam. Et meritò profectò bona opera requirunt, quia hoc ipſum Deus exigit; vt docet S. Scriptura mox citanda.

PROPOSITIO V.

BOna opera, ſecundum Lutheranos & Caluiniſtas, non ſunt neceſſaria ad vitam æternam, tanquã merita, ſeu tanquam meritoria illius apud Deum; neq; vllo modo tanquam cauſæ, etiam diſpoſitiuæ, hominis ad ſalutem, & vitam æternam. Nam hoc eſſet, *inquiunt illi*, Chriſto detrahere, qui tanquam cauſa, ſufficienter ſalutem & vitam æternam, paſſione ſuâ nobis promeruit. Solùm ergo bona opera ſunt neceſſaria, tanquã ſigna veræ fidei in nobis.

Ita verò docere illos clarum eſt ex libris illorum, maximè modernorum: & ex dictis hactenus. Et propterea illi credunt, & prædicant, ſolam fidem iuſtificare; alia verò bona opera, non: hocq; tantum intellexiſſe Lutherum & Caluinum, cùm aſſeruerunt ſolam fidem iuſtificare; nòn quòd non putârint etiam bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, & vitam æternã; ſed quòd illa non iuſtificent cauſaliter, nec mereantur ſalutem & vitam æternam, verùm ſola fides.

Digitized by Google

Sed falſum eſſe, ita Lutherum & Caluinum, ſemper ſaltem intellexiſſe, oſtendi *quæſt: 19.* Vult enim Lutherus, vt fides iuſtificet, debere eſſe illam abſq; vllis operibus etiam minimis; ac propterea multò magis cauendum eſſe à bonis operibus, quàm à peccatis. Deniq; propterea illi credunt & prædicant, ſpem noſtram, conſequendæ videlicet ſalutis, & vitæ æternæ, inniti ſoli miſericordiæ Diuinæ, neque in adultis vllo modo merita reſpicere. Quæ omnia perperam & falſò ab iſtis creduntur, & docentur. Antigonus certè, apud Plutarchum, adoleſcenti merita paterna alleganti, & beneficia à Rege pro illis exigenti, reſpondiſſe fertur: *At ego, Adoleſcens, non ob patrias, ſed ob proprias vniuscuiuſq; virtutes mercedem largior; virtus delectet paterna, quem præmia virtuti paternæ debita delectant.* Sic Supremus ille rerum Dominus, æterno ſanxit decreto, virtuti, & meritis proprijs vitæ, æterna munera conferre. Iuſtis igitur ſemper oculis mundum ſpectat vniuerſum, vt Agonothetes palæſtram, vt dux aciem, vt Dominus operas, ampliſſima ijs collaturus præmia, qui curſu Agonothetæ placuerunt in palæſtra, pugnâ Duci in acie, laboribus Domino in virtutum areâ. Veriùs ſanè dixerit ille; delectent, pugna, curſus, labor, quem præmia pugilibus, athletis, operis deſtinata delectant. Stat ſententia nullâ mutanda vice: *Vt recipiat vnuſquiſq; ſecundum opera ſua.* Meritis ergo opus eſt, vt ſperare liceat, quæ meritis ſunt promiſſa: & virtutis noſtræ opera, ſunt merita apud Deum, ſalutis, & vitæ æternæ.

Addo, eo modo beatitudo ſperanda eſt, quo Deus vult eam à nobis obtineri. Sed per bona opera, vult eam à nobis obtineri. Ergo per bona opera ſperanda eſt. In priori propoſitione conuenimus, quia ſi nos vno modo referre, ſeu obtinere eam ſperaremus, Deus verò alio conferre vellet, voluntati diuinæ non reſponderemus. Alteram igitur Propoſitionem, quam negat Lutherus & Caluinus, cum aſſeclis, probat S. Iacobus epiſtolæ ſuæ cap: 2. *Quid prodeſt Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nũquid fides ſaluare eum poterit?* Clamet hîc Lutherus & Caluinus, extollant fidem ſuam, ecce

ſaluare

ſaluare eos non poteſt; ecce ſine operibus prodeſſe non valet. Sed epiſtola S. Iacobi, ſtraminea viſa Luthero, roboranda ergo authoritate ipſius veritatis, quâ oppreſſus, hic excuculatus animarum prædo, diſcat tandem, quid ſit Spiritum S. vocare ſub ferulam, & SS. Patrum venerandam canitiem, impuriſſimâ dexterâ, vellicare. Verba Seruatoris noſtri à S. Matthæo accipio: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei*; dixerat Chriſtus iuueni de ſuâ ſalute ſolicito. Ergo ingreſſus in vitam æternam non patet, niſi qui mandata Dei ſeruauerit. Ironicè, aiunt, loquitur Chriſtus: at impiè & imprudenter, dum ſeriò adoleſcentem viam ſalutis inquirere admittunt, Chriſtum ei iocis illudere confingunt? Cur ſeriò dixit Apoſtolus Corynthijs, 1. Cor: 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei?* Cur, ſeriò & Ioannes ſuis, 1. epiſt: c. 1. *In hoc ſcimus, quoniam cognouimus* IESVM *Chriſtum, ſi mandata eius obſeruemus: qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Ex quibus verbis hábemus, Aduerſarios non noſcere Chriſtum verum, & mendaces eſſe, quia mandata eius non obſeruant: imò impios, cùm ſe illa cuſtodire non poſſe, affirmãt. Cùm ergo ſeriò hi Apoſtoli mandatorum Dei obſeruationem exigant, ſeriò & Chriſtus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei.* Ergo per bona opera beatitudo æterna ſperanda eſt. Quod verò tanquam per merita, & verè merita, non verò ſolùm tanquam per ſigna fidei, docet Apoſtolus, 1. Cor: 3. *Vnuſquiſq;*, inquit, *propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem.* Et Sapiens, Prou: 11. *Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem iuſtitiam, merces fidelis.* Deniq; Chriſtus Dominus, *Matth: 25.* recipienti iuſtum, promittit mercedem iuſti, quam ipſe iuſtus habet; vt patet ex *Matth: 10.* id eſt, beatitudinem æternam. Inſto ego: Merces debetur meritis. Merces enim non imputatur ſecundũ gratiam, ſed ſecundum debitum; vt docet idem Apoſtolus ad *Rom: 4.* Sed bonis operibus, ſecundum Apoſtolum, & Sapientem, ac ipſam Sapientiam æternam, debetur merces. Ergo bona opera ſunt merita. Eandem rem probat locus eiuſdem Apoſtoli, ex cap: vlt: ad Gal: *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet:*

Digitized by Google

metet: quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionē; qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Seminare autem in Spiritu, nihil aliud eſt apud Apoſtolū, quàm bona opera facere. Et propterea c. 5. præcedenti, dixit: *Fructus autem Spiritus, eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Indicat enim hoc loco Apoſtolus, pulchrâ ſimilitudine, opera noſtra mala, eſſe ſemen corruptionis, ſeu damnationis, ac proinde cauſam illius; ſemen enim eſt cauſa illius, quod prodit ex illo, & metitur. Et pari ratione docet, bona noſtra opera, eſſe ſemen vitæ æternæ, ac proinde cauſas meritorias illius. Addo & illud: Si bona opera ſunt neceſſaria, tanquam ſigna fidei. Ergo, cùm ſecundum Lutherum & Caluinum, vt vidimus in 1. propoſ: omnia iuſtorum opera ſint peccata mortalia, peccata mortalia erunt neceſſaria, tanquam ſigna fidei. O miſerā fidem! quæ tales profert fructus! talia requirit ſigna!

At videamus quænam radices, talia ferant toxica; digitū ego tantum in eas intendam. Auguſtinus cædat & extirpet. Radix ergo errorum horum eſt, prauus ſenſus verborum Apoſtoli, ad Rom: 3. *Arbitramur,* inquit is, *hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus legis.* & ad Epheſ: 4. *Gratia ſaluati eſtis per fidem, non ex operibus.* Ergo inferunt Aduerſarij, per fidem ſolam ſine operibus ſalus æterna, & vita ſperanda eſt. Non ſunt igitur bona opera merita, nec cauſæ illius. His alijſq; ſimilibus, rectè Auguſt: *lib: de gratia, & libero arbitrio, c. 2.* reſpondet; Apoſtolum intelligendum eſſe, vel de operibus præcedentibus fidem, & ſolius liberi arbitrij viribus factis, vel de operibus legis Moſaicæ. Per vtraq; enim homo non iuſtificatur. Hinc verò patet nihil detrahi Chriſto, & meritis illius, quamuis bona opera noſtra, quæ purè ſunt creatura, dicantur iuſtificare nos, & mereri nobis ſalutem, & vitam æternam: nam illa nonniſi ex meritis Chriſti habent hoc, & vt innixa meritis illius, & dignitas operibus noſtris bonis inde ineſt, quatenus nos ſumus mēbra viua Chriſti, & templum Spiritus S. & deniq; filij Dei per adoptio-

Digitized by Google

adoptionem. Chriſtus etiam eſt cauſa principalis, efficiens, meritoria iuſtificationis noſtræ, ſalutis & vitæ æternæ. Bona verò opera ſunt cauſæ diſponentes nos ad eadem, & *cauſæ inferiores*; vt etiam docet Caluinus, quod oſtendimus quæſt: 19. *quas Deus amplectitur, & per eas* (verba ſunt Caluini) *in poſſeſſionem ſalutis & vitæ æternæ, nos inducit.* Et ſicut fides, quamuis ſit pura creatura, & bonum noſtrum opus; non detrahit meritis Chriſti, quamuis iuſtificet nos, & cauſa ſit ſalutis noſtræ, & vitæ æternæ, ex ſententiâ etiam Aduerſariorum: ita & alia bona opera, non detrahent Chriſto, quamuis idem præſtabunt, & præſtare dicantur. Sed puras creaturas poſſe eſſe cauſas ſalutis noſtræ, apertè S. Scriptura docet: *Qui peccatorem conuertit, ſaluat animam eius à morte.* Iacob: 5. *Sanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem.* Paulus, 1. Cor: 2. Notanda particula, PER: *Omnis creatura verbo Dei, & Oratione ſanctificatur.* Idem 1. Tim: 4. *Eleemoſyna extinguit peccatum, ſicut aqua ignem.* Eccl: 3. *Redime peccata tua Eleemoſynis.* Dan: 4. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth: 18. *Eleemoſyna à morte liberat, & purgat peccata.* Tob: 12. 2. Cur ergo & Beatiſſima Virgo, Mater Dei, ſalus noſtra, licitè dici non poterit? quod Hæretici rident, & quod non norunt blaſphemant. Sunt ergo bona opera fidelium, facta ex auxilio gratiæ Dei, quam nobis Chriſtus promeruit, neceſſaria ad ſalutem, & vitã æternã, tanquam merita & cauſæ illius.

Iam ad illa loca S. Scripturæ, quibus Aduerſarij in 1. propoſitione ſuum errorem tuentur, & promouent, reſpondeo: & primò ad locum Iſaiæ: Non loqui Prophetam in perſonâ ſuâ, nec in perſonâ omnium hominum, ſed ſolùm in perſonâ Iſraëlitarum; & eorum tantùm, qui illo tempore erant, & maiori ex parte, iuſtitias quidem legales, hoc eſt cæremonias legis, & ſacrificia, ſolis naturæ viribus obſeruabant, & faciebãt: nihilominus & alios Deos præter verum Deum Iſraël colebant; ac proinde Idololatræ erant: vnde meritò huiuſmodi iuſtitiæ illorum, fœdæ erant coram Deo, & fœtebant, quia fucatam tantùm ſpeciem ſanctitatis habebant; quod patet non ſolùm ex antecedentibus capitibus eiuſdem, & ſequentibus; ſed eti-

Digitized by Google

ſed etiam ex verbis quæ immediatè ſubiunxit: *Non eſt, qui inuocet nomen tuum, &c.* Cùm tamen Iſaias inuocaret Deum, imò in hoc ipſo capite non aliud quid facit, quàm Deum inuocat, orat, & placat: *Vtinam*, inquit, *diſrumperes cælos, & deſcenderes*, &c. *& nunc Domine, Pater noſter es tu, nos verò lutum, &c.* Tandem: *Ne iraſcaris Domine, &c.* Deniq; patet ex vltimis verbis eiuſdem capitis: *Ciuitas*, inquit, *Sancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt: Ieruſalem deſolata eſt: Domus ſanctificationis noſtræ*, (ecce Propheta dicit; Templum Dei ſanctificare homines) *& gloria noſtræ, vbi laudauerunt te Patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, &c.* Sed quamuis loqueretur etiam Propheta in perſonâ ſuâ, non aliud vellet, quàm iuſtitias noſtras, non ſimpliciter, ſed comparatione iuſtitiæ Dei, hoc eſt ſanctitatis illius eſſe immundas. & propterea fortaſſis dixit: *Et facti ſumus vt* (nota hanc particulam) *immundus, omnes nos, & quaſi pannus, &c.* non verò abſolutè. Omnes nos immundi ſumus. Hoc ſenſu etiam Chriſtus Dominus dixit, Matth: 10. *Nemo bonus, niſi vnus Deus.* Hinc tamen non ſequitur, iuſtitias noſtras non eſſe verè ac ſimpliciter iuſtitias, nec propriè ante oculos Dei eſſe tales: quod etiam colligitur ex Iſaiâ, eodem capite, vbi docet; fuiſſe tempus, cùm Deus vltro occurreret, & familiaris eſſet hominibus, iucundè & libenter iuſtitiam facientibus.

Locus autem ex Prouerbijs, tantùm abeſt, vt huic damnatæ ſententiæ Aduerſariorum adſtipuletur, vt etiam aduerſetur. Cùm enim iuſtus plus quàm ſepties in die operetur, & nihilominus ſepties tantùm cadere aſſeratur à Sapiente, ſequitur indicari ab eo, non quoduis opus hominis iuſti eſſe peccatum.

S. Ioannes etiam non dicit quodcunq; noſtrum opus eſſe peccatum maximè mortale; vt patet ex ipſis verbis. & ex c. 3. vbi dicit: *Opera Abel* fuiſſe *iuſta*; *opera* autem *Cain maligna.* Sed neq; dicit, non poſſe nos vllo tempore eſſe ſine peccato mortali; quod videbimus quæſt: ſequenti. Et cur cap: 3. adhortaretur nos, ne peccemus, ſi omnia opera noſtra etiam bona eſſent peccata mortalia, & non poſſent non eſſe talia? Denique, cur dicit idem cap: 3. poſſe eſſe, vt cor noſtrum non reprehendat nos

dat nos

Digitized by Google

dat nos, & tunc nos poſſe habere fiduciam ad Deum, & quod petieramus ab eo, accipiemus. Deniq; clarè docet nos mandata eius cuſtodire. Hoc igitur tantum vult eo loco, neminem in hac vitâ, etiam perfectum, ſine peculiari priuilegio, vitare poſſe omnia peccata venialia, nec poſſe ſine alicuius culpæ venialis contagione viuere.

Deniq; ad locum Iobi reſpondit iam S. Ambroſius lib: 1. in Lucam, ſuper illa verba: *Erant ambo iuſti incedentes in omnibus mandatis. Quid ad hoc,* inquit, *referunt, qui peccatis ſuis ſolatia præferentes, ſine peccatis frequentibus hominem putant eſſe non poſſe; & vtuntur teſtimonio ex Iob: Nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius diei vita eius ſit in terrâ. Quibus reſpondendum eſt, vt prius quid ſit hominem ſine peccato eſſe definiant: vtrum nunquam omninò peccâſſe, an non deſiiſſe peccare. ſi enim hoc putant ſine peccato eſſe, nunquam omninò peccâſſe, & ipſe conſentio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei. Sin autem eum, qui veterem errorem correxerit, negant abſtinere à delictis; non poſſum in eorum ſententiam ire.* Neq; S. Iob hoc vult, ſed illud primũ, ſeu omnes peccâſſe in Adam, & originali peccato obnoxios eſſe.

Ex dictis habetur, concidere craſſum illum errorem, nullam eſſe in quoquam, internã veramq; iuſtitiã, ſed imputatiuã.

QVÆSTIO XXVI.

An ex ſententiâ Lutherana & Caluinianâ, omnia peccata fidelium ſint peccata mortalia, ſeu quæ mereantur damnationem æternam?

RESpondeo: Omnia peccata fidelium, ſunt ex ſententia Lutherana & Caluiniana, peccata mortalia, & quidem natura ſua, ac damnationem æternam merentur.

Probatur primò expreſſis teſtimonijs illorum, quæ retulimus *quæſt: 16. in 2. Hæreſi.*

Q Secun-

Digitized by Google

Secundò. Quia ſi ex ſententia iſtorum, omnia opera bona fidelium, ſunt peccata mortalia natura ſuâ, vt vidimus quæſt: præcedenti, multò magis certè ex ſententiâ eorundem, omnia peccata fidelium erunt ex naturâ ſua mortalia.

Tertiò. Quia probant etiam iſti ex S. Scripturâ hunc ſuum errorem. Omnia, inquiunt, peccata, ſecundum Apoſtolũ merentur iram Dei, ac pœnas æternas: omnia igitur ſunt mortalia. Ita Magdeburgen: vt vidimus citatâ quæſt: & alij. vnde pro ſolo etiam verbo otioſo, de quo homines reddituri ſunt rationem Deo in iudicio, iuxta Chriſti Domini decretum, *Matth:12.* admittere iſti debent hominem fidelem, in quo charitas Dei ſit, nihilominus damnationem æternam mereri: (nã & huiuſmodi poteſt verbum otioſum dicere) quod quàm ſit abſurdum, quis non videt? quandoquidem in tali verbo, nulla eſt talis malitia, quæ repugnet gratiæ iuſtificationis, & charitati Dei, & ob quam dignum ſit damnationi æternæ addici. Deus verò, nonniſi vt ſapientiſſimus & iuſtiſſimus Iudex, de huiuſmodi malitia iudicet, ac nonniſi ſecundùm qualitatem malitiæ, ſeu culpæ pœnam decernat. Deniq; ratio naturalis dictat; eſſe quidem tale verbum, dignum aliquâ reprehenſione, aut pœnâ, leue tamen cenſeri debere; nec huiuſmodi, quod iuſtitiam tollat, & amicitiam cum Deo diſſoluat, ac proinde damnationem æternam mereatur. Cùm ergo Aduerſarij inclamant S. Scripturam, in caſſum laborant.

Primò quidem, quia S. Scriptura nullibi docet, aliquod peccatum naturâ ſuâ eſſe mortale, ac proinde naturâ ſua damnationem æternam mereri; quod Aduerſarij aſſerunt.

Secundò. Vnde habent, Apoſtolum loqui abſolutè de omni omninò peccato, & non de mortali tantùm? ſiue illud actuale ſit, ſiue originale. Et non affirmaret ille de ſe: *Nihil mihi conſcius ſum*, 1. Cor: 4. ſi omne peccatum mereri iram Dei; & quidem talem, quæ pœnas æternas exigeret, vel hominem nullo vnquam momento abſq; peccato, quod naturâ ſit mortale, eſſe poſſe exiſtimaret. Non diceret etiam Corynthijs c. 1. *Nihil vobis deeſt in vllâ gratiâ, expectantibus reuelationem Domini noſtri Iesv*

Digitized by Google

ſtri Iesv *Chriſti, qui & confirmabit vos in finem ſine crimine.* Nec præciperet Timotheo, c. 1. vt eos ſolùm Epiſcopos conſtitueret, qui ſunt ſine crimine ſcilicet mortali. Denique quomodo aſſereret de ſe, & alijs, Rom: 6. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuimus in illo.* Et infra: *Vt vltra non ſeruiamus peccato.*

Tertiò. Quia ex S. Scriptura varijs locis contrarium habemus, nimirum non omne peccatum hominis iuſti, etiam non prædeſtinati, eſſe mortale, & mereri damnationem æternam. Ita euincunt teſtimonia citata ex Apoſtolo, ad *Cor.* & ad *Rom.* & ex *Matth: 12.* quod etiam vidimus. Deniq; ex *Prou: 24. 1. Ioan: 1. cit: quæſt: præced.* & ex *Iacob: c. 3.* in quibus locis aſſeritur clarè & diſertè in omnibus iuſtis, tàm prædeſtinatis, quàm non, manente iuſtitia in illis, & gratia iuſtificationis, dari aliquando peccata aliqua, ac proinde non mortalia, maximè naturâ ſuâ; cùm animas illorum non occidant, nec gratiam iuſtificationis ab illis tollant. Deniq; idem S. Ioan: in eadem epiſt: *cap: ſeq:* expreſſè docet: Omnem hominem, qui manet in Chriſto, non peccare; ita *c. 3.* ſimiliter & eum, qui natus eſt ex Chriſto: imò nec peccare poſſe; quoniam ex Deo natus eſt: ibidem. Manere autem hominem in Chriſto, ſecundum eundem Apoſtolum, eodem *cap: in fine*, eſt mandata Chriſti ſeruare. ſicut & natum eſſe ex Deo hominem, eſt credere, Iesvm eſſe Chriſtum, & diligere alterutrum, ſicut Chriſtus præcepit, charitate, quæ ex Deo eſt, c. 4. & 5.

Ex quibus omnibus, hæc tria habemus. Primum, non omnem fidelem peccare mortaliter; nec omne peccatum eius eſſe mortale: quod ſic oſtendo. Omnis homo fidelis, qui etiam manet in Chriſto, & natus eſt ex Deo; peccat ſecundum eundem S. Ioannem, vt habemus in teſt: citato, quæſt: præc: allato ab Aduerſarijs. Verba illius ſunt: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Ac ſi diceret: Omnis fidelis peccatum habet; æquiualens enim eſt hæc propoſitio illi, quandoquidem S. Ioannes hìc comprehendit omnes Chriſtianos, omnes Apoſtolos etiam, & ſeipſum, licet perfectus fuerit, & copioſum robur Spiritus S. acceperit; (vt patet ex iſtis verbis: *Si di-*

Digitized by Google

bis: *Si dixerimus.* & ex antecedentibus immediatè; *Si autem in luce ambulamus, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis filij eius Iesv Chriſti, emundat nos ab omni peccato;*) & loquitur non de præteritis, ſed de præſentibus peccatis. nam non dicit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habuimus;* ſed, *quoniam non habemus:* præſentibus inquam, non quia actu ea in præſenti faciamus, quaſi omni tempore peccemus, vel omni tempore actu habeamus peccatum; nam propterea non dixit: Si dixerimus, quoniam non peccamus, ſed quod frequenter peccamus, & ſoleamus peccare. Cùm ergo dicat idem, omnem fidelem manentem in Chriſto, non peccare: ne apertè ſibi contradicat, intelligere debet, non peccare mortaliter, quàm diu manet in Chriſto, peccato ſcilicet, quod alienat hominem à Deo, & conciliat diabolo; peccare verò frequenter, venialiter: peccato ſcilicet, quod naturâ ſuâ non diſſoluit amicitiam cum Deo, nec tollit charitatem, neq; impedit, quin poſt condignam temporalem pœnam, ad iuſtitiæ ſuæ præmium pertingat; & conſeq: non facit hominem reum damnationis æternæ. Non omnia igitur peccata fidelium ſunt mortalia, maximè naturâ ſuâ.

Alterum verò eſt, quod etiam clarè habemus ex eodem teſtimonio Ioan: Hominem etiam non prædeſtinatũ ad gloriam, qui manet in Chriſto, quia credit Iesvm eſſe Chriſtum; & natus eſt ex Deo, quia diligit alterutrum charitate ex Deo: (poſſunt enim reprobi credere, vt crediderunt aliqui de facto, Iesvm eſſe Chriſtum, & diligere alterutrum, & conſeq: eſſe aliquando in gratia Dei, & iuſti) non ſemper peccare mortaliter; nec omne peccatum eius eſſe mortale; quod docent, Lutherus, Caluinus, Wiclephus, & Lutherani, & Caluiniſtæ. Quorum errori S. Conc: Trident: *Seſſ: 6. Can: 17.* Anathema dixit. Poſſe verò ipſum etiam tunc de facto habere veniale, quia vix dies ſine tali peccato poteſt tranſigi; vt iam vidimus ex *Prou:* & alijs locis S. Scripturæ.

Tertium deniq; eſt, poſſe etiam fidelem, & prædeſtinatũ ad gloriam, peccare lethaliter; cui contrarium docent Hæretici moderni. Poteſt enim huiuſmodi homo, præceptum aliquod di-

Digitized by Google

quod diuinum Decalogi violare, & contra charitatem, nimirum non diligendo proximum, à Chriſto præceptam, peccare: ſicut Dauid, & S. Petrus, etſi eſſent prædeſtinati, nec amiſerint fidem, lethaliter peccârunt, quod negari, vt optimè annotauit S. Auguſt: *tr: 66. in Ioan.* ſaluâ fide non poteſt.

Quartò probatur propoſitio, quia aliâs fruſtra S. Petrus adhortaretur nos 1. ſuâ epiſt: c. 1. Vt in omni conuerſatione ſancti ſimus, (hoc eſt, vt ſit ſanctitas in omni cogitatione noſtra, in omni verbo, & in omni facto, quâ peccatum mortale pellatur, quod pluribus per gratiam Dei contingere poteſt;) ſi omnia peccata noſtra, imò & bona opera, ſunt peccata mortalia, & nemo vnquam ſine peccato mortali viuere poſſet.

Sed dices: Veritas teſtimoniorum ex S. Scripturâ citatorum, non vrget omninò concedendum eſſe, dari peccatum veniale naturâ ſuâ. Satis enim eſt, dari veniale tantum ex voluntate Dei. ac proinde verum adhuc erit: Omne peccatum fidelis, naturâ ſuâ eſſe mortale, & mereri damnationem æternam.

Reſpondeo primò. Mihi ſatis eſſe me oſtendiſſe ex S. Scriptura, non omne peccatum fidelis hominis, quicunq; ille ſit, ſiue prædeſtinatus, ſiue non, eſſe mortale, quod intendi hîc, & eſt contra Aduerſarios; vt ipſi, niſi cœci ſint, videbunt.

Reſpondeo ſecundò. Falſum aſſumi ab Aduerſarijs, nam & hoc loca illa Scripturæ euincunt. 1. quidem, cùm habeatur ex illis, admittendum eſſe peccatum veniale, & non poſſit concedi tale, quale aſſeritur ab Aduerſarijs, quod volunt illi eſſe veniale, tantùm ex voluntate Dei, in hoc ſcilicet ſenſu, quia ſcilicet dignum ſit venia in fidelibus prædeſtinatis; vt patet ex lib: illorum: nullum autem peccatum, quamdiu retinet rationem peccati, & maximè quod naturâ ſuâ mortem adfert; ſit dignum venia, imò indignum: ſequitur concedendum eſſe veniale naturâ ſuâ. 2. Quia S. Scriptura intelligit, dari peccatum propriè veniale: quod ſcilicet propriè opponitur mortali, & non facit naturâ ſuâ filios Diaboli, iræ, & damnationis æternæ. Tale autem non eſt, niſi naturâ ſuâ veniale. 3. Quia eadem Scriptura ex S. Ioan: cit: cùm reddit cauſam, c. 3 ℣. 9. cur qui

cur qui natus ex Deo eſt, non faciat peccatum, ſcilicet mortale; ſeu quod eum faciat eſſe in morte, & eſſe ex Diabolo: (nam *qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, & manet in morte*; c. 3. ℣. 10. & 14. & conſeq: non eſt filius Dei, nec ex Deo natus:) non meram Dei voluntatem adfert; ſed ſemen Dei manens in eo, hoc eſt charitatem, & gratiam iuſtificationis. vt in ſeq: indicat: *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*; ac proinde nec habet peccatum mortale actuale, quoniam ſemen ipſius manet in eo, & quia ex Deo natus eſt. Non vult igitur peccata fidelis nati ex Deo, naturâ ſuâ eſſe mortalia; neq; ex merâ tantum voluntate Dei eſſe venialia, ſed naturâ ſuâ eſſe venialia: quippe quæ ex ſe non tollunt charitatem, & gratiam iuſtificationis, nec amicitiam cum Deo diſſoluunt. 4. Quia S. Paulus affirmat clarè, vt vidimus, Corynthios ſanctos, confirmandos à Deo in finem, ſine crimine, vt ſcilicet ſint ſine crimine, (hic enim eſt ſenſus verborum Apoſtoli) quod poſſet impedire eos, ne aſſequerentur reuelationem IESV Chriſti, quam expectabant. Tale autem crimen, non eſt, niſi naturâ ſuâ mortiferum. Sunt ergo aliquando fideles aliqui ſine vllo peccato, naturâ ſuâ mortifero. Hinc verò ſequitur, dari etiam peccatum veniale natura ſua. Denique, quandoquidem ex ſententia etiam Aduerſariorum, Deus, qui ſapientiſſimus & iuſtiſſimus eſt Iudex, tàm diuerſimodè iudicat de maliciâ horum peccatorũ, & diuerſimodè illa odio proſequitur, ac quædam ex illis reputat eſſe leuia, nec digna æternâ damnatione; quædam verò grauia, &c. ſignum eſt, illa inter ſe, vel ex natura ſua, vel ex obiecti ipſius conditione, eſſe inæqualia, ac conſequenter quædã natura ſua mortalia eſſe, ac mereri damnationem æternam; quædam verò natura ſua eſſe venialia, nec mereri æternam damnationem.

Ex dictis colligitur. Lutheranos & Caluiniſtas, ex ſententia S. Ioan: & ipſorum propria atteſtatione, non eſſe natos ex Deo, nec filios Dei, nec manere in Deo, nec in Chriſto: ſed eſſe ex diabolo, & filios diaboli, ac manere in morte: nam

faciunt

Digitized by Google

faciunt & quidem ſemper iniquitatem, & peccata natura ſua mortalia; imò non poſſunt illa non facere. Deniq; non cuſtodiunt mandata Dei, imò nec poſſunt ea cuſtodire.

QVÆSTIO XXVII.

Quid Lutherani & Caluiniani, iuxta ſuam fidem, ſentiant de Ieiunijs?

QVæſtio eſt de Ieiunio, propriè & ſtrictè ſumpto: hoc eſt, de ſeueriori quadam abſtinentia à cibis ſuſcepta, aut ſtudio Eccleſiaſticis legibus obſequendi, aut ſponte ad coërcendam carnis laſciuiam, aut deniq; ad Deum promerendum. Hoc poſito ſit

PROPOSITIO I.

SEntiunt, credunt, & docent, Ieiunia eſſe illicita.

Secuti in hac re Iouinianum antiquum Hæreſiarcham, cuius hic error damnatus fuit ab Eccleſia Chriſti; vt teſtatur S. Hier: *lib: 2.* con: ipſum. & S. Ambr: *ep: 82.* vbi poſtquã retulit ipſum dicentem, nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullum frugalitatis; delirare eos, qui carnem caſtigant, vt menti ſubdant: (Apoſtolus ergo delirauit, cùm corpus ſuum caſtigabat, & in ſeruitutem redigebat?) concludit: *Quæ iſtos Epicureos ſchola noua miſit, qui voluptatem prædicent, delicias ſuadeant?* Nuſquam videris Lutheranos & Caluinianos, eloquentiores eſſe, quàm cùm agunt contra ieiunia, (quæ omnes SS. Patres miris laudibus exornant;) ita vt hæc res probatione non egeat, ſed ſolâ inſpectione librorum, qui ab iſtis editi ſunt. Certè Lutherus apertè fatetur in *Colloq: cap: de Scholaſt:* ſe nulli magis infeſtum eſſe, quàm S. Hieron: idq; ideò, quia ſcribit tantum de ieiunio, delectu ciborum, & virginitate. Caluinus autem *lib: 3. Inſt: cap: de Ieiunio,* SS. Patres vt inconſideratos propter ieiunium appellat. Se-

Digitized by Google

lat. Sequaces verò iſtorum, quid non? Hinc illis ieiunia figmenta Pontificum, ſuperſtitiones Papiſtarum, deliramenta hominum, carnificinæ voluntariæ, onera Ætnâ grauiora, inutilia, ac libertati Euangelicæ contraria, ad quam, teſte Apoſtolo ad *Gal: 4.* vocati ſumus. Sed eandẽ prætexebat & Aërius; vt refert Epiph: *Hæreſ: 75.* nõ quidem contra ieiunia abſolutè, ſed contra ieiunia ordinata, ſtatuta lege certis diebus; & nihilominus propter hoc, & alia, Hæreticis connumeratus. Et hæc quidem Lutherani & Caluiniſtæ, non verbis tantùm, ſed re ipſa etiam: ideò enim ieiunia ab antiquâ Eccleſiâ non ſolùm approbata, ſed & ſanctè conſtituta inſolenter frangunt, & ingluuie ventris violant. Scio multos Lutheranos & Caluinianos, maximè Torunij, diebus Dominicis halecibus veſci, nec carnes manducare; (fortaſſis dolentes, quòd Chriſtus Dominus illâ die reſurrexerit,) à quibus tamen feria 6. qua die ieiunium à veteri Eccleſia, à tempore adhuc Apoſtolorum inſtitutum, in memoriam Paſſionis Chriſti, quam illâ die pro ſalute noſtrâ ſubijt, nullo modo abſtinere poſſunt. Ieiunium Lutheranis & Caluinianis eſt, & hoc ſolùm aſſerunt laudari & commendari à S. Scripturâ, ac placere Deo, & deniq; ſeruandum fidelibus, abſtinere à peccatis. Ita *Iſaiæ c. 58.* Aliud verò ieiunium, quia non præceptum à Deo, ideò illicitum: vt video, ſecundum hos interpretes S. Scripturæ, carnali ſpiritu afflatos, ita intelligendum eſt illud, quod Phariſæus orans, & gratias agens, dicebat ad Deum, Luc: 18. *Ieiuno bis in Sabbatho;* ſcilicet, bis in Hebdomadâ à peccatis abſtineo. Magna profectò laus, & ideò, næ ille ſe, non eſſe ſicut cæteros homines, verè affirmauit. Nam condemnatum illum eſſe ob talem ſuam Orationem, ex S. Scriptura non habemus, ſed ſolùm Publicanum iuſtificatum ab illo, hoc eſt magis iuſtum in domum ſuam diſceſſiſſe. Sed num & illud Prou: 28. *Homo qui ieiunat in peccatis ſuis;* explicabunt de abſtinentia à peccatis? non exiſtimo. Certè nos Catholici aliud ieiunium, & proprium, non metaphoricum, in S. Scriptura inuenimus, quod etiam ſuaderi & laudari à Chriſto, ac mercedem apud Deum mereri, & obtinere, ex ea-

Digitized by Google

re, ex eadem clarè habemus. Ita Matth: 6. *Cùm autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hyppocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes*; ieiunantes inquam propriè, non verò metaphoricè, vt ſcilicet appareant abſtinentes à peccatis. Solam hîc vanam gloriam excludit: *Tu autem cùm ieiunas*, ecce consilium Chriſti de proprio ieiunio, *vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne uidearis hominibus ieiunans* propriè; non enim vngendum caput ſuaderet, ne quis videatur hominibus abſtinere à peccatis. *Pater verò tuus*, ecce merces proprij ieiunij, *qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Pulchrè hoc illuſtrat S. Gregor: 8. Mor: c. 25. *Vide benè cur ieiunes, ne dicatur de te, quod opus laboris & moleſtiæ plenum, facias ad acquirendam laudem humanam; & ne pro tali actione, qua regnum cælorum mereri poteras, vilem nummum tranſitoriæ vanitatis accipias.*

PROPOSITIO II.

LVtherani & Caluiniani, pro more conſtantiæ ſuæ, immemores S. Scripturæ, quam inclamabant, & quæ ieiunium non præcepit, ſentiunt, credunt, & docent, licita eſſe ieiunia.

Ita iam paſſim etiam faciunt, maximè in neceſſitate aliquâ conſtituti, videlicet, ne ex Regnis, vel Ciuitatibus, à Catholicis pellantur: indicunt enim ſuis publicè ieiunia, vſq; ad veſperam, quę etiam obſeruari volunt, ſecuti vt exiſtimo exemplum Dauidis, qui poſtquam audijſſet interitum Saul Regis, & Ionathæ, & magnæ partis populi Dei, ieiunauit cum omnibus ſuis comitibus, vſq; ad veſperam, *2. Reg: 1.* Noui ego aliquot, & illuſtres viros Caluinianos, qui pridie cœnæ ſuæ Caluinianæ, quam ſumpturi erant in Synagogâ Caluiniana, ieiunabant vſq; ad veſperam: & tunc demum ex conſilio Prædicantis, ſolùm caponem aſſùm comedebant, credo in memoriam Agni Paſchalis, quem Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis, ante inſtitutionem Cœnæ Euchariſticæ manducauerat. Noui & alium ex

Digitized by Google

um ex Illuſtribus, qui tota die feriæ ſextæ, ab omni prorſus cibo abſtinebat; quod in eo proprius Prædicans non damnabat, niſi fortè ſanitati obeſſet; neq; tamen imitabatur, ſed tantùm factum Domini ſui admirabatur. Non omnes enim verbum hoc capiunt.

PROPOSITIO III.

LVtherani & Caluiniani ſentiunt, docent, & credunt, non eſſe licitum ieiunium, hoc eſt abſtinentiam à certo quodam genere ciborum: vt v. g. à carnibus, vel à lacticinijs, &c. prout in Eccleſia Catholica Romana ſeruatur.

Nec ſibi deeſſe argumenta ad probandum hoc, exiſtimāt: quia *omnis*, inquiunt, *creatura Dei bona eſt*; teſte Apoſtolo, *1. Tim: 4.* Ergo quid? Ita iſti quidlibet ex quolibet inferunt. Et ſi omnis creatura Dei bona eſt, cur ipſi etiam ad veſperum, vel tota die, (tale enim ieiunium admittunt iam) abſtinent ab illa, niſi forte maledicta ſit tūc creatura illis, ſicut de impijs aſſerit Sap: c. 3: *Maledicta creatura eorum.*. Sed fortaſſis fortiùs erit ſecundum telum; excipiamus illud.

Secundò igitur aiunt: quia nullum præceptum extat in S. Scriptura de huiuſmodi ieiunio, imò nec exemplum maximè ab ea laudatum. Sed nec præceptum eſt abſtinere ad veſperam, vel tota die; & tamen hoc illi faciunt. cur ergo & nobis non licet facere? maximè cùm nos ad multa facienda, propter emolumentum animæ noſtræ, & honorem Dei, præcepta non exigamus. Deinde, cur non ſufficit conſilium datum in S. Scriptura, de tali ieiunio. Tale eſt illud: *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Rom: 14. Quod ſi dicas Apoſtolum dicere, bonum eſſe non abſolutè, ſed ſi offendatur frater: nihil eſt, nam ſi bonum eſt, impedire peccatum proximi mei, etiamſi ille iniuſtè offendatur ob manducationem; quantò magis bonum, ſi id faciam, vt vitem peccatum meum, ne ſcilicet

ſcilicet manducatione prædictorum incurram aliquod peccatum, vel contra caſtitatem, vel contra obedientiam Eccleſiæ: (nam ſi medico licet abſtinentiam à certis cibis præcipere, ob ſanitatem corporalem, cur non etiam Eccleſiæ ob ſpirituale?) vel ſi id faciam ad gloriam Dei, propter conſecutionem alicuius virtutis. Sed nec deſunt exempla talis ieiunij, laudata à S. Scriptura. Legimus *Luc: 1.* Angelum inter laudes S. Ioannis Baptiſtæ, hoc etiam inter alia dicere de illo: *Vinum non bibet*; quæ abſtinentia eſt à quadam creatura; imò præceptum, de nõ bibendo vino, datum fuit à Deo Aaroni, Leuit: 10. *Vinum non bibetis.* & Num: 6. *Vir,* inquit Dominus ad Moyſen, *ſiue Mulier, cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint conſecrare, à vino, & omni quod inebriare poteſt, abſtineant.* Cur ſimile quid Eccleſia propter honeſtum finem præcipere ſuis non poterit? O inſenſati, quis vos faſcinauit? Sed & fœmina illa S. Iudith, laudatur à Spiritu S. eò quòd ieiunaret omnibus diebus, præter feſta, c. 8. Non timebat hæc, quod præceptum Dei non eſſet. Exiſtimo illam, diebus qui non erant feſti, certo tantùm genere ciborum vſam fuiſſe: nec Aduerſarij aliud probare poſſunt. Laudatur etiam & Anna Propheteſſa, in Nouo Teſtamento, filia Phanuel, quod nocte ac die annis multis fuerit ſeruiens Deo in ieiunijs & obſecrationibus; vbi vox eſt λατρεύουσα, quæ cultum religioſum ſignificat. Deniq; S. Auguſt: vir tantæ ſanctitatis & eruditionis, clarè teſtatur *ep: 86.* ſe in Nouo Teſtamẽto videre, præceptum eſſe nobis ieiunium; quibus verò diebus oporteat ieiunare, præcepto Domini definitum non inuenire. Docet tamen idem in *Pſal: 111.* Ieiunium Quadrageſimale ante Paſcha, præceptum ab Apoſtolis fuiſſe. Idem aſſerit S. Hier: ep: 54. & in c. 9. Matth: *Nos vnam,* inquit, *Quadrageſimam, ſecundum traditionẽ Apoſtolorum, toto anno tempore nobis congruo ieiunamus.* & B. Leo, *Serm: 4. 6. & 9.* vbi hoc ieiunium *conſtitutionem Apoſtolorum* appellat. At Theophilus Alexandr: ep: 1. & Tertul: ante, aduerſus Pſychic: c. 13. Quadrageſimale ieiuniũ, (quod Tertul: appellat *ieiunium Paſchatis*) tàm ex S. Scriptura, quàm ex traditione Maiorum eſſe præſcriptum, Catholicam

Digitized by Google

Eccleſiam profiteri, ſolitam tradunt. Deniq; S. Ambr: *Ser:34. 36. & 38.* vbi etiam dicit illud præceptum fuiſſe ab ipſo Saluatore, ac idcircò neceſſariò ſeruandum. Clemens verò Rom: qui Apoſtolorum diſcipulus fuerat, aſſerit *lib: 5. Conſt: c.vltimo*, Canonem eſſe Apoſtolorum, quo præcipitur, vt poſt Hebdomadam Ieiunij, in omni Paraſceue ieiunemus. Et vtrumque hoc ieiunium ſemper ſeruatum fuit in Eccleſia, à temporibus Apoſtolorum.

Aures iam arrigite Lutherani & Caluiniani. Vbi opus Dei videmus, æquè tenemur credere, quàm vbi verbum eius audimus. Pronunciatum eſt veſtrorum Patriarcharum, Lutheri & Caluini; vt oſtendimus ſup. Sed ieiunium, quod eſt abſtinentia à certo genere ciborum, v. g. in Quadrageſima ante Paſcha, & feria 6. in Hebdomada, &c. opus Dei eſt. Opus autem Dei eſt, vt ijdem veſtri Patriarchæ definiunt, quod diuturna & perpetua illius duratione in Eccleſia, & per vniuerſum Chriſtianiſmum probatur. Hoc enim non potuit niſi virtute Dei fieri. Tale autem eſt prædictum ieiunium, vt oſtendi, & vos vidiſtis, ſi oculos domi habetis; nec negare poteſtis, niſi perfrictæ frontis eſſe velitis. Igitur tenemini credere, tale etiam ieiunium obſeruandum eſſe. Redite igitur ad cor, præuaricatores.

QVÆSTIO XXVIII.

An ſatisfactio noſtra, neceſſaria ſit pro peccatis, in ſententia Lutherana & Caluiniana?

NOmine ſatisfactionis, intelligitur propriè ſatisfactio, nimirum actio, qua peccatum à nobis commiſſum expiamus, quoad pœnam temporalem, quæ ſæpè manet poſt peccatum dimiſſum. Hoc poſito ſit.

PROPO-

PROPOSITIO I.

NOn eſt, ſecundum hos Sectarios, neceſſaria.

Nam, inquiunt illi, Chriſtus, iuxta verbum Dei, copioſè ſatisfecit pro omnibus peccatis noſtris, ac gratuitò nos reconciliauit Deo. Dimiſſa etiam culpa, ſtatim omnis pœna tollitur; ac proinde non ſolùm non eſt neceſſaria ſatisfactio noſtra, ſed & pernitioſa: quia redemptionis ac ſatisfactionis beneficium, per Chriſtum obſcurat. Pari ratione neceſſariò inferre debent; non eſſe neceſſarium dolorem, ſeu pœnitentiam pro peccatis, & obſcurari ab ea ſatisfactionem Chriſti. cùm tamē ipſe *Luc:13.* dicat: *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Similiter nec ſatisfactionem Chriſti applicandam eſſe nobis, quod etiam ipſi Aduerſarij requirũt; ſiquidem Chriſtus copioſiſſimè pro peccatis noſtris ſatisfecit. Non petendam etiam veniam à Deo pro peccatis, nec quidquam aliud nobis, vel alijs: nam Chriſtus omnia hæc nobis cumulatiſſimè impetrauit. Et Aduerſarij ad iuſtificationem obtinendam, certò credunt, imò debent remiſſa eſſe ſibi peccata, quoniam fides tollit Orationem quâ oramus, vt dimittantur nobis debita noſtra: non enim rectè oratione petit, quod iam certus eſt ſe habere. At iſta fide certò ſibi hoc homo perſuadet; irriſoriè ergo verò dicet fidelis Deo: Dimitte debita mea. Item carnem noſtram nobis non eſſe crucifigendam: quod præſcripſit Apoſtolus ad *Gal:5.* quandoquidem Chriſtus ſuam pro nobis cruci affigi voluit. Neq; patiendum nobis ad exemplum Chriſti, & veſtigijs ab eo relictis inhærendum; quod exigit S. Petrus 1. ſua ep: c. 2. & requiri affirmat ex vi vocationis noſtræ Chriſtianæ: *In hac enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Deniq; falſo S. Paulũ perhibuiſſe, & paſſionē Chriſti obſcurâſſe ad *Colo:1.* ſe adimplere ea quæ deſunt, paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Et quia hæc Aduerſarij tanquam falſa non volent inferre, quamuis iuxta ipſorum argumentationem inferenda eſſent: ſi-

ſent: ſimiliter neq; illud primum eodem falſo nixum argumento, inferant; quia videlicet ita Chriſtus ſatis fecit pro peccatis noſtris, vt nihilominus per bona opera noſtra, ac proinde per ſatisfactionem noſtram, tanquam per certa media, nixa ſemper eius gratiæ & ſatisfactioni, nobis applicare fructum ſatisfactionis ſuæ voluerit: & offerendo ſatisfactionem ſuam Deo Patri, ſimul obtulit ſatisfactionem noſtram; vt ex vi quoq; noſtræ, cum illius gratia coniunctæ, ſolueretur debitum temporalis pœnæ, & iuſtitiæ diuinæ ſatisfieret. Sæpè enim poſt deletum in nobis per pœnitentiam reatum pœnæ æternæ, vnà cum macula peccati mortalis, manet nihilóminus reatus pœnę temporalis, (vtramq; enim tale peccatum meretur) vt euidenter habemus ex Scripturis, in quibus legimus, à Deo ipſo decretam nonnullis aliquam pœnam temporalem pro peccatis, quibus condonauerat iam illa & ſimul cum peccatis, pœnam æternam pro illis debitã. Ita miſſis alijs locis legimus, *2. Reg: 12.* de Dauide, qui quamuis doluerat de peccato, quod commiſerat in acceptione vxoris Hethæi; vnde & coram Propheta Nathan dolens dixerat: *Peccaui Domino*; & licet obtinuerat remiſſionem illius à Deo. audiuit enim à Nathan nomine Dei: *Dominus tranſtulit peccatum tuum:* nihilominus tamen punitus fuit propter illud, pœna temporali à Deo. *Verumtamen*, dixit illi idem Propheta: (Ecce pœna temporalis decreta à Deo pro peccato condonato;) *Filius tuus qui natus eſt tibi, morte morietur*; quod & factum eſt. Simile habetur ibidem *cap: 24.*

Sciendum autem eſt etiam in lege veteri, non fuiſſe remiſſa peccata, niſi per merita Chriſti; vt colligitur ex *ep: ad Rom.* ab initio vſq; ad *c. 8.* & ex *ep: ad Gal: c. 2.* & propterea dixit S. Ioannes, *Apoc: 13.* Agnum occiſum eſſe ab initio mundi, quia ſcilicet propter præuiſam iſtam occiſionem, & ſanguinis effuſionem, conferebatur ab initio etiam mundi, gratia & remiſſio peccatorum. Legimus præterea, *1. Cor: 5.* de fornicatore quodam, quem S. Paulus quamuis pœnitentem, vt colligitur ex textu, tradidit ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus in die Domini ſaluus fieret. Et in huiuſmodi ſcripturis fundatur doctrina

ctrina Catholica, de ſatisfactione noſtrâ, imò & de Purgatorio, eſſe ſcilicet locum in alterâ vitâ, in quo ab animabus, quæ decedunt ex hac vitâ in gratiâ Dei, ſatis fit Deo per punitionem pro reatu pœnæ temporalis, quæ remanſit poſt dimiſſum peccatum. Multi enim decedunt ex hac vitâ non expiato peccato à ſe commiſſo, quoad pœnam temporalem. Et propterea dicitur, Matth: 5. *Non exies de carcere*; (intelligi autem poteſt etiam de carcere alterius vitæ, vt indicant illa verba: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo*, ſcilicet in hac vitâ: non eſt enim nouum S. Script: nomine viæ intelligere vitam præſentem) *donec reddas nouiſſimum quadrantem*: ſed dimiſſa culpa hominibus apud Deum, nihilominus manere reatum pœnæ tẽporalis, eidem exſoluendũ, admittunt etiam Lutherani & Caluiniſtæ, vt patebit ex vltimo argumento ſeq: propoſitionis.

Satisfactionem quoq; noſtram, probant illa loca Scripturæ, quibus exigit Deus à peccatoribus, vt conuertãtur ad eum, ſed in ieiunio, fletu, & planctu, *Ioël 2.* Item ea, in quibus ab iiſdem poſt veram conuerſionem, & dolorem de peccatis, nihilominus requiritur pœnitentia, hoc eſt ſatisfactio; vt patebit ex ſequ: propoſ.

Deniq; ſatisfactionem indicat factum illorum, qui curioſa ſectati, vt legimus, *Act: 19.* conuerſi à S. Paulo, & confeſſi actus ſuos, contulerunt libros ſuos curioſos, & coram omnibus combuſſerunt: quorum librorum pretium erat denariorum quinquaginta millium.

Dices. Reatus remanere non poteſt poſt remiſſam culpam, cùm ex hac ille veluti ex cauſa naſcatur, & proprius ac neceſſarius ſit in paſſionis morem effuſus. Reſpondeo, me oſtendiſſe ex S. Scriptura, remanere illum etiam dimiſſa culpa, neq; neceſſe eſt ſemper omnem effectum, qui ſit etiam in morem paſſionis, tolli, ſublatâ cauſâ, ex quâ ille naſcitur, vt etiam in Philoſophia oſtenditur: & cùm talia ſeparabilia ſunt inter ſe, cur non poteſt vnum, ita Deo volente, manere, altero ſublato? Deniq; inter homines etiam videmus, dimitti iniuriam, non ſimul ſemper licitè & pœnam; quâ ratione Dauid prohibuit, ne Abſa-

ne Abſalon faciem ſuam videret, quamuis ei culpam condonâſſet, *2. Reg: 14.* Pulchrè S. Auguſt: tr: 124. in Ioan: *Productior eſt pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, ſi cum illâ ſimul finiretur & pœna.*

PROPOSITIO II.

ESt neceſſaria ſatisfactio noſtra pro peccatis, iuxta ſententiam Lutheranam & Caluinianam.

Et ita expreſſè Beza, vt vid: *quæſt: 19.*

Probatur primò. Quia illi admittunt aliquando bona opera, maximè Orationem, aliquod ieiunium & Eleemoſynam; hæc autem ſunt ſatisfactiones noſtræ.

Secundò. Quia illi in Synodis ſuis, quamuis ſciant aliquos ſuorum verè dolere de peccatis admiſſis, nihilominus puniunt illos in vindictam ſcilicet, & ſatisfactionem peccatorum, qui admittunt cōuerſis redimenda eſſe peccata Eleemoſynis, iuxta S. Script: *Dan: 4.*

Tertiò. Quia admittunt pœnitentiam pro peccatis: hæc autem ſæpè iuxta S. Script: includit in ſe ſatisfactionem noſtram, imò aliquando hanc ſolam ſignificat; admittunt ergo & ſatisfactionem noſtram. Conſequentia eſt clara. Antecedens ergo probatur primò, ex *c. 2. Act: Apoſt:* vbi refertur illos qui conuenerant ad cœnaculum, audita voce Apoſtolorum in die Pentecoſt: ac concione S. Petri compunctos fuiſſe corde, & dixiſſe: *Quid faciemus viri fratres?* & nihilominus reſponſum accepiſſe: *Pœnitentiam*, inquit, *agite*; id eſt, ſatis facite pro peccatis veſtris. Secundò, ex *ep: 2. ad Cor: c. 7.* vbi laudat Apoſtolus Corynthios, quod contriſtati fuerint, & quidem ſecundum Deum, ex *epiſt: ipſius*, & poſtmodum quid præſtet, ſeu operetur eiuſmodi triſtitia ſecundum Deum, dolor de peccatis, docet, nimirum pœnitētiam in ſalutem ſtabilem: *Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Ecce pœnitentia ſecundum Apoſtolum, aliud quid eſt à triſtitia, & dolore pro peccatis ac effectus illius, & nihil aliud quàm ſatisfactio.

Digitized by Google

factio. Quod etiam patet ex ſeq: verbis, in quibus explicat Apoſtolus, quid in eis triſtitia illa, ſecundum Deum, operata fuerit, nimirum *indignationem* contra peccata, & contra ſeipſos, *æmulationem, vindictam*; quia ſcilicet ſeipſos caſtigabant. Deniq; Miniſtri Lutheranorum & Caluiniſtarum, licet & ipſi firmâ fide credant, & alios etiam ad hoc ipſum credendum inducant, & credere putent, Deum labes Eccleſiæ ſuæ maculaſq; omnes eluiſſe, vt gratia quiſq; potiatur omniaq; peccata condonâſſe; nihilominus ſæpè in ſuis concionibus populum admonent, ac docent, Deum eorundem peccatorum cauſâ, & propter impunitatem illorum, Eccleſiam ſuam affligere, ac calamitatibus exercere. Quo publico præconio an non dilucidè fatentur, culpa eiecta & expiata, pœnam tamen ſubeundam manere, & ſatisfactionem diuinæ iuſtitiæ eſſe neceſſariam, videlicet in hoc vitæ curſu, vel poſt decurſum; ac deniq; dari Purgatorium in altera vitâ, æquus Lector expendat.

QVÆSTIO XXIX.

An fides totalis, vt à Luthero credebatur, & prædicabatur Anno 1520. ſit modò in mundo in aliquâ congregatione hominum, & idem quæritur de fide, vt credebatur, & prædicabatur à Caluino Anno 1538.

PROPOSITIO I.

FIdes totalis, vt à Luthero credebatur, & prædicabatur in mundo in aliqua congregatione hominum, non reperitur modo.

Probatur primò. Quia aliqui articuli fidei, vt à Luthero credeban-

credebantur, & prædicabantur Anno 1520. modò hoc Anno 1624. à nulla congregatione hominum in mundo creduntur, ac prædicantur. Igitur fides totalis vt à Luthero credebatur, & prædicabatur anno 1520. modò non eſt in mundo in aliqua congregatione hominum. Conſeq: eſt clara, & patet ex præc: quæſt: 2. in ſecunda propoſitione. Anteced: ergo probatur. Solam fidem iuſtificare, & tunc cùm eſt ſine bonis operibus, quia hæc non ſunt neceſſaria ad vitam æternam. Obſeruationem Decem præceptorum à Deo datorum in veteri lege, non pertinere ad Chriſtianos; impoſſibile eſſe homini legem Dei ſeruare: caſtitatem non eſſe poſſibilem; ieiunia quæcunq; eſſe deliramenta Papiſtica, &c. Sunt articuli fidei, quos Lutherus credebat & prædicabat, vt pat: ex dictis ſupra; qui omnes collectiuè à nulla hominum congregatione, creduntur hoc anno 1624. & prædicantur. Ergo, &c.

Secundò. Quia cum Lutheranis objiciuntur errores Lutheri in fide, reſpondent illi nihil ſibi eſſe cum Luthero, ſe non fidem Lutheri, ſed Chriſti profiteri, & hominem illum fuiſſe: nec potuiſſe eſſe ſine errore in fide, ſatis eſſe quòd in aliquibus fundamentalibus Eccleſiam Chriſti, deformatam Papiſticis ſuperſtitionibus, deliramentis, & idololatrijs, reformauerit: quo clarè indicant fidem totalem, vt credebatur, & prædicabatur à Luthero, non eſſe modò in mundo, ſed aliã aliquã nouã.

Tertiò. Numerantur nunc ferè centum Sectæ, quæ ex doctrinâ Lutheri prodierunt, imò vt teſtatur Fridericus Staphylus, *lib: de Concordia diſc: Lutheri*, vix adhuc Lutheranis natis eos in Anabaptiſtas, Confeſſioniſtas, & Sacramentarios diuidi cœpiſſe, ac rurſum ſingulos in Sectas alias, & alias vſq; ad 34.

Quartò. Confeſſiones Auguſtanæ, vt oſtendunt Caluiniſtæ, imò & ipſi Lutherani tot ſunt diuerſæ inter ſe, vt à nemine iam ſciri poſſit, quænam fuerit Lutheri, præliantibus alijs contra alios.

PROPO-

PROPOSITIO II.

FIdes totalis, vt credebatur, & prædicabatur à Caluino Anno 1538. non eſt modò in mundo in aliquâ congregatione hominum.

Probatur primò. Quia aliqui articuli fidei, vt à Caluino credebantur, & prædicabantur eo anno, hoc anno 1624. à nulla congregatione hominum omnes ſimul creduntur, & prædicantur. Igitur fides totalis, &c. Anteced: probatur. Deum eſſe authorem peccati, & occulta quadam vi mouere homines ad peccata, impellere, ac neceſſitare, Caluin: *lib: 1. Inſt: c. 17. & 18. lib: 2. c. 4. lib: 3. c. 23.* Legem Dei eſſe impoſſibilem, etiam cum eius ope & præſidio, nec ab vllo hactenus, quantumuis Sancto ſeruatam eſſe, aut deinceps ſeruari poſſe: *lib: 2. Inſt: c. 7. Sect: 8.* Meritum Chriſti ad conciliandum nobis Deum, non eſſe ſufficiens, *lib: 2. Inſt: c. 17.* Mortem eius nihil per ſe profuiſſe, *lib: cit: c. 16.* ſolùm pro electis mortuum fuiſſe, *in c. 7. S. Ioannis*; (quamuis alibi veritate compulſus aliud docuerit) Deum efficienter reprobare indurando homines intrinſecè ac poſitiuè, creando ex animi certâ deſtinatione, reprobos in damnationem & exitium. Reprobos perire, non propter peccata, ſed propter æternam Dei voluntatem, in *c. 9. epiſt: ad Rom.* (Fatetur quidem ille in *lib: 1. Inſtit: c. 17. & 18. & in 3. c. 23.* non velle Deum fieri peccata à voluntate, quæ nobis in Scripturis declarata eſt, ac proinde aliam voluntatem in Deo confingit, omninò contra voluntatem, quæ poſſit eſſe in Deo. Nam ſicut Deus non poteſt mentiri, nec ſeipſum negare; ita non poteſt velle indicare ſe nolle & præcipere ne fieret, quod fieri & facere vellet.) Item Chriſtum peccâſſe, dum petijt à ſe auferri calicem, & in cruce deſperâſſe clamando: *Vt quid dereliquiſti me?* de quâ re vide Hoſium Card: *lib: 1. de Hæreſibus*; Lindanum, *Dial: 2.* Feuardentium, *Dial: 4. & 5.* Cælibatum eſſe impiam tyrannidē, *lib: 4. Inſt: c. 12.* Deniq; Baptiſmum paruulis non eſſe neceſſarium ad

Digitized by Google

rium ad vitam adipiſcendam; ita in Appendice, *lib: de verâ religione*, vbi etiam non dubitat dicere Auguſtinum erráſſe, cùm contrarium aſſeruit. & quod peius eſt, aſſerit nulli Baptiſmum eſſe neceſſarium, *lib: 4. Inſt: c. 14.* quamuis, inquit, tota antiquitas aliud ſenſerit. Iſta omnia ſunt articuli fidei, quos Caluinus credebat & prædicabat, qui omnes collectiuè ſumpti, in nullâ congregatione hominum modò creduntur, & prædicantur. Ergo, &c.

Secundò. Quia cùm Caluinianis obijciunt Caluini errores in fide maximè citati, reſpondent: id quod Lutherani de Luthero, vt vidimus in 1. propoſ: quo indicant fidem totalem Caluini, non eſſe iam in mundo in aliqua congregatione hominum.

Tertiò. Quia diuiſa eſt Secta Caluiniana in aliquot Sectas, vt vidimus ſup: imò vbiq; eſt diuiſa, & neſcitur iam cuius ipſe Caluinus fuerit; & vna harum vnam partem errorum Caluini admittit, aliam reijcit; alia verò alteram.

PROPOSITIO III.

VTramq; hanc propoſitionem debent admittere Aduerſarij, & aliquando quidem admittunt, aliquando negant. vt patet ex dictis.

Ex dictis clarè deducitur fidem totalem, quæ credebatur & prædicabatur à Luthero & Caluino, non fuiſſe veram fidem Chriſti.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO XXX.

An liceat, ſecundum Lutherum, Caluinum, & Sequaces, facere cæremonias, ſeu actiones externas ad colendum Deum, quæ non ſunt præceptæ à Deo in S. Scriptura?

PROPOSITIO I.

NOn licet, ſecundùm ipſos, & peccatum eſt, ac contra S. Scripturam, & ſuperſtitionem Papiſticam redolet.

Ita Caluinus *lib: 4. Inſt: c. 15. §. 19.* & *lib: de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ*; verba Caluini ſunt: *Si nullo mandato Dei approbentur, non ſunt faciendæ.* & Domini Status Hollandiæ in Synodo Vltraiectina, in *Prologo ſuarum Ordinationum.* Synodus Helbilg: Anno 1614. Iacobus Zaborovvski, *lib: cit: quæſt: 1.* Symmachus in *Reſponſione contra Crucium.* Anonymus monitor, qui Torunij Monita ſuorum Euangelicorum in lucem protruſit, *monito 5. & 9.* & alij. Et ideò Caluinus cum ſuis Caluiniſtis, & Lutherus cum Lutheranis, non paucas cæremonias, quæ in Eccleſia Chriſti fiebant, reformando eam, vt ipſi aiunt, exploſerunt, idq; propter eam ſolùm rationem, quia non erant verbo Dei præceptæ. Probant autem iſti ſuam ſententiam, potiſſimum tribus teſtimonijs S. Scripturæ: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Deut: 4. &, *quod præcipio tibi hoc tantum facito: nec addas quicquam, nec minuas.* Ibid: c. 12. *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideò ecce ego addam.* Iſa: 29. Ex hac propoſitione inferre licet, nullum conſilium Euangelicum à Chriſto datum, amplectendum eſſe Chriſtiano homini, & peccare eum ſi hoc faciat, quia nullum tale conſilium mandato Dei approbatur; aliud

 enim

enim eſt conſilium, aliud præceptum. De primo dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, &c.* De ſecundo: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

PROPOSITIO II.

LIcet, ſecundùm Lutherum & Caluinum, & Sequaces, facere cæremonias, ritus, ſeu actiones externas ad colendum Deum, licet non ſint præceptæ à Deo in S. Scriptura.

Ita Lutherus, Caluinus, Beza, Catechiſmus Geneuenſis, Status Hollandiæ, Synodus Vilnen: non vna, & Helbing: citata, non verbis tantum, ſed etiam re ipſa docent. Caluinus ipſe oblitus verbi Dei, nec inuento præcepto, non paucas inſtituit cæremonias, circa Baptiſmum, Euchariſtiam, & Matrimoniũ, *lib: formul: Sacram: adminiſt.* & *lib: 4. Inſt: c. 15. §. 19.* v. g. vt paruulus non baptizetur, niſi publicè in cœtu fidelium, & pro publicâ concione, vt tota Eccleſia, velut teſte ſpectante, & orante ſuper eum Deo offeratur. Pſalmum cantandum eſſe, cùm diſtribuitur Euchariſtia, aut locum Scripturæ rei quæ Sacramento deſignatur, congruentem clarâ & elatâ voce, recitandum. Cùm verò Matrimonium celebratur à Miniſtro publico, poſtquam ſponſus & ſponſa in Eccleſia ſe ſtiterint, hæc præmittenda: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Amen.* Fatetur etiam Caluinus, Apoſtolos addidiſſe quoſdam ritus & cæremonias. Deniq; idem agnoſcit Miniſtros Eccleſiæ manuum impoſitione creandos eſſe, *lib: 4. Inſt: c. 3.* Domini etiam Status Hollandiæ, non paucas cæremonias ex præcepto Dei circa Baptiſmum, & Cœnam Domini præſcripſerunt. & Catechiſmus Geneuenſis, Synodus etiam Vilnenſis Caluiniana, Anno 1589. ſtatuit, vt Cœna Domini vltra Villiam à ſtantibus, non ſedentibus ſumatur. Hoc ipſum condidit & Synodus Helbing: Anno 1614. *Communicaturi non debent flectere, ſed ſtare tantum ante menſam, & poſt ſumptionem ad ſua ſcamna reuerti.*

Luthera-

Digitized by Google

Lutherani verò omnes flectunt, cùm Cœnam Euchariſticam manducant. Deniq; omnes, tàm Lutherani, quàm Caluiniſtæ, deducunt funera ſuorum in proceſſione cantando, & concione ſepulturam cohoneſtando. Feſta etiam Natiuitatis Domini, Circumciſionis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, celebrant. Item Dominicum diem, non Sabbatum contra Decalogum. deniq; miſſis alijs omnes aſſurgunt & ſtant, cùm Euangelium à Miniſtro ex ſuggeſtu recitatur: quæ actiones ſeu cæremoniæ ad colendum Deum, non ſunt præceptæ à S. Scriptura; & poſtremam quidem obſeruabãt ſemper Iudæi in ſuis Synagogis, dum legeretur Scriptura, nihil timentes, quamuis non fuiſſet præcepta à Deo; imò & ipſe Chriſtus Dominus in Nazareth, cùm legeret Iſaiam in Synagoga, *Luc: 4.* obſeruauit eam; & meritò obſeruantur huiuſmodi ritus. Nam virtus religionis inclinat hominem, vt Deum quamuis nullum extaret præceptum diuinum, actu aliquo externo & ſenſibili veneretur, tanquam interioris reuerentiæ Symbolo. Multò ergo magis Eccleſia Chriſti poteſt præſcribere aliquas cæremonias ad colendum Deum; quamuis illæ à S. Scriptura non præcipiantur.

Iam ad teſtimonia allata in 1. Propoſitione, quanquam contra ipſos etiam Aduerſarios militent, Reſpondeo.

Ad primum: ineptè & inſulſè adfertur illud: ſicut & reliqua duo. 1. Quia debebunt concedere Ioſue, Prophetas & Apoſtolos peccâſſe contra hanc legem; addiderunt enim iſti ad verbum Moyſi. 2. Moyſes non ait, *quæ ſcribo*, ſed *quæ loquor*, ergo imprudenter torquent hæc ad verbum Dei ſcriptum, ſeu in S. Scriptura expreſſum. 3. Quia ipſe Moyſes *c. 17.* iubet ſub pœna mortis obedire decreto Sacerdotis & Pontificis: non igitur vult hoc, quod volunt Hæretici, alias ſecum pugnaret. 4. Quia illis verbis præcipit Moyſes Iudæis, vt circumciſionem Phaſe, & alia legis veteris ſeruent, nihilq; illis addant. eſt ergo hæc lex cæremonialis, nec Chriſtianos obligat, ſed Iudæos: alioquin Lutherani & Caluiniani deberent circumcidi, &c. hæc enim in illis verbis præcipit, & loquitur Moyſes. 5. Senſus illius loci hic eſt. Ad præcepta, quæ ego hoc capite, & ſequenti-

quentibus, præcepturus ſum vobis ô Iudæi, non addetis aliquid ſcilicet eis repugnans & contrarium, præſertim quod Beelphegor, vt ſequitur, vel alterius noui numinis, aut idoli cultum & religionem inducat. Ergo *ad verbum*, idem hic ſignificat, quod contra verbum, non verò vltra, vel præter verbum.

Ad ſecundum patet reſponſio ex iam dictis, & ſenſus eſt illius loci: Ne facias aut fingas tibi in cerebro tuo idolum, vti præceſſit, ſed in rebus & cæremonijs Dei, fac tantum illud, quod Deus vel per ſe, vel per Vicarios ſuos, puta Sacerdotes, præceperit.

Ad tertium. Huic loco Chriſti vox lucem attulit, nam cum ſecundum 70. verſionem citauit, declarauitq; Matth: 15. & Marc: 7. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* ſine cauſa enim colunt me, docentes doctrinas nouas, & mandata hominum, id eſt exhibent tanquam religioſa illa; non quæ Deus ſibi offeri vult, ſed quæ homines ſuo ſpiritu adducti, nec habentes poteſtatem vllam à Deo, facienda præſcribunt, & maximè contraria ijs, quæ Deus præcipit: quale erat illud, de quo tunc loquebatur Dominus, *Matth: 15.* Offerre munus altari, quod præcipiebant Phariſæi, relictis in egeſtate parentibus, quod prohibebat Deus. Nec plura: finio, vbi vnum illud Magni Hilarij in memoriam reduxero, vel ex his paucis pagellis, luce patere clarius; Hæreticos non fidem habere, ſed fidibus ludere.

QVÆSTIO XXXI.

An ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum, teneatur vnuſquiſque contrahere Matrimonium?

PROPOSITIO I.

TEnetur.

Hæc eſt

Hæc eſt aperta omnium Lutheranorum & Caluiniſtarum ſententia. Et ob hanc cauſam Lutherus, quamuis votum ſolemne continentiæ, ac religioſæ vitæ nuncupaſſet, nihilominus ad carnales nuptias tranſijt, ac in Bornæ Monialis ſinu mentem ac metum depoſuit; de quâ re lege Eraſm: in *ep: ad Danielem Mauchium Vlmanum*; in qua iocatur de Nuptijs Lutheri, maximè, quod indotatam acceperit, & quæ pridem deſierat eſſe veſtalis, ac deniq; pauculis diebus poſt decantatum hymenæum pepererit; quod vltimum etiam Iuſtus Baronius in ſuo opere, *de Proſcriptionibus,* ſcribit: ***Lutherus,*** inquit, *heri Monachus, hodie ſponſus, cras maritus, perendie pater.* Idem quod Lutherus, ac ob eandem cauſam fecerunt; Buccerus, Zuinglius, Petrus Martyr, Pellicanus, Ochinus, Oecolampadius, & alij innumerabiles, qui ex Monaſterijs ad Lutheranos & Caluiniſtas profugerunt. Ideo etiam prædicandi Euangelij officium nulli apud illos conceditur, niſi prius ſibi fœminã copulauerit: hæc apud illos vnica teſſera doctrinæ ac profeſſionis Chriſtianæ. Huius rei clarum teſtimonium legere poteris in reſponſione meâ, ad libellum famoſum cuiuſdam Anonymi Torun: *c. 4. in fine.* Vide & Eraſm: in *ep: ad Vilibaldum*; vbi aſſerit hos nouos Eccleſiaſtas, duo tantum quærere, cenſum & vxorem.

Ob eandem cauſam Lutherani & Caluiniſtæ cælibatum execrantur, & doctrinam de eo vehementer impugnant. Caluin: *lib: 4. Inſt: c. 12. n. 23.* dixit, cælibatum impiam eſſe Tyrannidem. Beza verò in *Præfat: Noui Teſtamenti*, aſſeruit doctrinam de cælibatu, quem Hieronym: defendit, eſſe ſtultam opinionem. Deniq; propterea Lutherus docuit, Matrimonium non minus omnibus eſſe neceſſarium, quàm cibum & potum.

Verùm non aſſerunt ſolùm Aduerſarij, teneri vnumquéque ad contrahẽdum Matrimonium, ſed & probant ex S. Scriptura, *Gen: 1. & 7.* vbi Deus verbis illis: *Creſcite & multiplicabimini*, præcepit Matrimonium; quod ipſum verbum, *Creſcite*, imperandi ſcilicet, clarè nimis indicat. Ad præcepti autem obſeruationem, maximè ſi etiam ſimul ſit naturale, quale hoc eſt de Matrimonio; vnuſquiſq; tenetur, & quidem ſub reatu

Digitized by Google

æternæ damnationis. Sed nonnè Deus ſemel tantum dixit hæc verba, primis Parentibus in Paradiſo, & ſemel Noë, & filijs ipſius, cùm poſt diluuium ex arca egreſſi fuiſſent, quorum vtrique, vt apertè conſtat ex ipſo textu locis citatis iam ante, Matrimonium contraxerant. Non igitur per illa verba præcepit eis, vt Matrimonium contraherent, quod iam contractũ erat; quid ergo? ſed benedictionem tantùm ſolemnem impertiuit illis, vt copioſam ſobolem procrearent ad multiplicandum genus hominum, quod tunc valdè exiguum erat; & hoc ſignificat textus, *Gen: 7.* cùm ait: *Benedixit Deus Noë, & filijs eius, & dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Num & his poſtremis verbis dicent Lutherani & Caluiniſtæ, contineri præceptum Dei? cùm æquè dicatur: *Replete*, ſicut & *Creſcite.* Egregij profectò iſti interpretes diuinarum literarum. Vide ſi placet reſponſum Crucij in Monitis Euangelicis, *Monito 4. publico,* quod ille dedit cuidam Miniſtro: cùm idem præceptum de contrahendo Matrimonio occineret.

Adde: vel enim hoc præceptum eſſet naturale, vel tantum diuinum ad contrahendum Matrimonium, tunc quicunque non ſeruaret illud, peccaret; Chriſtus Dñus, v.g. B. Virgo, S. Paulus, &c. imò & Elizabetha Regina Angliæ. Deniq; non potuiſſent nos, S. Scriptura, Chriſtus, & Apoſtoli, hortari ad continentiam, & non contrahendum Matrimonium, Matt: 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* 1. Cor: 7. *Dico autem non nuptis, bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Et, *qui non iungit virginem ſuam matrimonio, melius facit.* Et, *qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt.* Hic præfert continentiam Matrimonio.

Notandum eſt, fuiſſe tempore S. Auguſtini Hæreticos, vt ipſe teſtatur *lib: de S. Virginitate, c. 23.* qui docebant illos, qui nõ contrahebant Matrimonium, ſed ſe continebant, in regno cœlorum non habere locum, contra aperta verba Chriſti, *Matth: 19.* Idem ſequitur ex doctrina Lutheranorum & Caluiniſtarum.

PROPO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

NOn tenetur vnuſquiſque, ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum, ad contrahendum Matrimonium.

Primò. Quia docent non peccare eos, qui non contrahũt Matrimonium, peccarent autem, ſi ad id tenerentur lege aliquâ naturali aut diuinâ.

Secundò. Quia aſſerunt Chriſtum non peccâſſe, etiamſi Matrimonium non contraxerit; quem tamen omnia præcepta ſeruaſſe admittunt, cùm id S. Scriptura affirmat, Matth: 3. *Sic nos decet, omnem ſeruare iuſtitiam.* &, *Non veni ſoluere legem, ſed implere.* Non audebant etiam dicere, Paulum Apoſtolum peccâſſe, licet Matrimonium amplexus non fuerit, vt patet ex *1. Cor: 7.* deniq; nolunt peccaſſe Elizab: Reginam Angliæ, quamuis cælibem vitam duxerit.

Tertiò. Quia multi eorum conuicti rationibus, docent licitam eſſe continentiam, imò & teneri eos ad ipſam, qui donum continentiæ acceperunt à Deo; quod etiam probant ex Matth: 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* & ex illo Apoſtoli, 1. Cor: 7. *Volo omnes eſſe ſicut meipſum, ſed vnuſquiſq; proprium donum habet à Deo; alius quidem ſic: alius verò ſic.* Apparet neminem illorum habere hoc donum, cùm omnes contrahant Matrimonium, nec eſſe ſimiles Apoſtolis, ſed ſolos Catholicos Romanos.

Quartò. Quia admittunt Chriſtum & Apoſtolum, hortatum nos eſſe ad continentiam & caſtitatem, *l. c. in fine primæ Prop.* quod illi non feciſſent, ſi teneretur vnuſquiſq; præcepto ad contrahendum Matrimonium.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXII.

An iſtis temporibus, ſcilicet poſt tempora Apoſtolorum, in luce Euangelij, à Miniſtris Eccleſiæ Chriſti, quærenda ſunt miracula, ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarum?

PROPOSITIO I.

NOn ſunt quærenda.

Ita Lutherus paſſim, Caluinus, & gregales iſtorum, in ſuis libris, vel Concionibus. Hoc ipſum reſponſi loco dederunt omnes Miniſtri in oppido Eperieſino, Anno 1614. parentibus, cùm pro filio, qui energumenus erat, auxilium ab illis implorarent, vt pat: ex ſeq: prop. Et propterea ab iſtis Euangelicis, vt videre eſt apud Matthiã Brendebachiũ in ſuo Antyperaſp: ſigna & miracula omnia, quæ poſt tempora Apoſtolorum facta ſunt, vel fient, vocãtur præſtigiæ dæmonũ ac mendacia, & prodigia Antichriſti; id eſt, qualia Antichriſtus facturus eſt.

PROPOSITIO II.

QVærenda ſunt miracula à Miniſtris Eccleſiæ, etiam poſt tempora Apoſtolorum.

Probatur propoſitio. Primò ſcriptis ipſorum Euangelicorum. Citat Brendebachius *lib: c.* Lutherum docentem miracula requiri in recipiendâ nouâ doctrinâ, qualis certè fuit Lutheri, quando cum ipſa ante centum annos prodijt, nam & antiquas Hæreſes ante multa ſæcula damnatas, & ab eodem reſuſcitatas, & nouas non paucas, ante inauditas; vt pat: ex dictis ſup:

ctis ſup: continebat. Adducit & Smidelinum, qui hanc rem etiam exemplo Apoſtoli Pauli, ex Actis Apoſtolicis probare conatus fuit.

Secundò exemplis. Conati enim ſunt iſti Euangelici, Lutherus videlicet, Caluinus, & alij, miraculis mendacibus probare, veram eſſe ſuam doctrinam, vt ſic ſaltem populo imponerent, quo indicabant requiri miracula à Miniſtris Eccleſiæ, poſt tempora Apoſtolorum.

Narrat Tilmanus Brendebachius, in lib: Collat: Sacrarũ, *lib: 7. c. 40.* ex authoribus dignis fide, quorum aliqui ſpectatores etiam fuêre, Lutherum Anno 1545. puellam dæmoniacam è Miſniæ ditione, Vitembergæ à malo dæmone liberare voluiſſe; quam cùm in Sacrario Parochialis Eccleſiæ Vitemberg: præſentibus aliquot eruditis viris adiurare & exorciſare, modo ſuo, non Papiſtico cœpiſſet; ipſe in magnas anguſtias à dæmone redactus fuit, vt è Sacrario primùm per fores fugere, (quas ita benè dæmon obſerauerat, vt aperiri, neque intrinſecus, neq; extrinſecus potuiſſent) deinde per feneſtram, per quam effugium crates ferreæ prohibebant, tentauerit, ſed non potuerit, donec per cancellos ferreos ab edituo eſſet oblata ſecuris; vt ea fores effringerentur, quod perfecit vir quidam robuſtus, qui inibi erat. Interea verò viſu admirandum erat, videre Lutherum angoribus correptum, ſurſum deorſumque curſitare, atq; inſtar ouis parturiẽtis, huc illucq; ſeſe inuertere. Pulchro & faceto carmine Lutherum exorciſantem deſcribit Angelinus Gadeus in pijs Hilarijs:

Male dominata poſſidebat quispiam
Dæmon puellam in Miſniâ, &c.

Simile quid refert idem Tilmanus, *l. cit: c. 43.* de quodam, qui ordine quidem & charactere Sacerdos fuerat, ſed iam doctrinæ Lutheranæ adhæſerat, & concubinâ, tanquam legitima vxore vtebatur. Cùm enim puellam, quæ à tribus dæmonibus obſidebatur, exorciſare cœpiſſet, à dæmonibus, qui exorciſmos illius ridebant, multum vexatus fuit, & inſuper ab iiſdem audijt, ſe characteris tantùm Sacerdotalis, quo illum Deus hono-

us honorauerat, rationem habere; cæterum ſine vllá morá illũ per deuia ſyluarum abrepturum; quos tandem dæmones illa ipſa hora, in præſentia eiuſdem Lutherani, quidam Religioſus ex ordine S. Franciſci eiecit.

Conſultiùs fecit in Gallia Mancianus Miniſter Chalnieñ; nam cùm oblatum energumenum liberare non poſſet, timẽs ne quis ſibi Euangelij ſui impotentiam exprobraret, miſerum cum ipſo Caçodæmone culeo inſutum in Iſaræ amnis profundum, ſaxis aggrauantibus demerſit, dicens ſe hominem liberatum ſecretò dimiſiſſe, & ne cuiquam miraculum propalaret, interdixiſſe. Egregius ſanè exorciſta. Scribunt hoc, Iaius in ſuo Energumenico; Reſcius in Phalariſmis Euangelicorum; Adamus Cotzen in Inſtructione, pro Iubilo Iubilorum.

Lepidum quid in hoc genere fecêre Miniſtri omnes in oppido Eperieſino, Anno 1604. Puer nocturnis ſpectris territus horrore, ei quem caducus morbus afferre ſolet perſimili, abſq; intermiſſione concutiebatur. Parentes conſilij inopes, ſuaſu quorundam, Miniſtros adeunt, auxilium petunt: illi neque ſe medicinæ artis gnaros, neq; hiſce temporibus amplius ab Euangelio miracula quærenda eſſe fruſtra prætendentes, importunis precibus eo tandem redacti ſunt, vt ad ſuperſtitioſa confugerint. Nos, inquit, Euangelium S. Ioannis exarabimus, vos Souarium (vbi oppidum Catholicum, & templum Societatis noſtræ erat) deferte, & ſub ipſa mappa aræ, in qua conſecratur Corpus Chriſti, ponite, nec priuſquam re diuina peracta inde tollite, ac demum de collo pueri appendite, ſic morbo liberabitur. Quod conſilium niſi vir quidam Catholicus detexiſſet, tentatum omninò fuiſſet.

Ex eodem oppido Eperieſino, alia Energumena Lutheranis Miniſtris imbellem audaciam exprobrauit, neque ſe, niſi in Souar, apud Catholicum Sacerdotem liberatum iri prædicabat; quod & factum fuit, nam eò piorum ope clam cognatis & Miniſtris deducta erat.

Veniamus iam ad mortuorum ſuſcitationem, fortaſſis ibi Miniſtri Lutherani & Caluiniſtæ, feliciores erunt Thaumaturgi.

Digitized by Google

turgi. De Caluino ſcribit Hieronym: Bolſerus, eum mortuos ſuſcitare in Euangelij ſui affirmationem, hac ſubtili machinatione voluiſſe. Conuenerat cum Bruleo inope & vxorato ex Oſtuno, vt Geneuam demigraret, & aliqua die mortuum ſe conſcia vxore fingeret. Miſer hic quemadmodum à Caluino inſtructus erat, morbum fingit, eumq́; periculoſum. Miniſtri pro concione populo illum commendant, vt precibus iuuarent, & eleemoſynis paupertati ſuccurrerent; non diu poſt perſonam mortui induit, & mortuum ſe ſimulat. Hic Caluinus clam admonitus, quaſi tum rerum omnium ignarus, deambulatum prodijt; ſed comitatus magnâ caterua amicorum, poſtquàm eò ventum eſſet, vbi clamores & eiulatus vxoris, quę miſellam & deſolatam egregiè exprimebat, exaudiret; quidnam hoc eſſet, ſciſcitatus domum ingreditur, vbi in genua ipſe & reliqua caterua prouoluitur, (ecce noua cæremonia in reſuſcitatione mortui adhibetur â Caluino, de qua nullum extat mandatum in S. Scriptura, ac proinde impia) precibuſq́; alta voce profuſis Deum obteſtatur, potentiam ſuam oſtendere, & mortuo huic vitam reſtituere, gloriamq́; ſuam ſic vniuerſo populo declarare vellet, ſimulq́; manifeſtum facere, ſe Caluinum peculiarem ſibi ſeruum gratum eſſe, & à ſe ad Euangelij ſui miniſterium, atq; Eccleſiæ reformationem, ſingulariter & verè vocatum: poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſâ in Dei nomine imperat, vt ſe erigat; repetit iterum ſæpiuſq́; eos ſermones, voce etiam altius elata: ſed fictus mortuus, iuſto Dei iudicio verè mortuus, nil ſe mouit, nec erexit. Quod vti vxor, quæ etiam illum agitabat, vidit, & totum frigidum aduertit, vlulatus ſeriò edere & ex corde cœpit, & in Caluinum inuecta impoſtorem eum, ſicarium, & latronem, qui maritum interemiſſet appellans, ex ordine rem quomodo erat geſta, clarâ altâq́; voce expoſuit.

Simile omninò factum in noſtrâ Polonia, non longè à Cracouiâ, Anno 1558 à Miniſtro Caluiniano, qui cum Matthæo quodam, ac vxore eius conuenerat: refert in Phalariſmis Euāgelicorum Reſcius, *fol: 542.*

Aliud

Aliud etiam eiuſmodi factum in Ruſſia, retulit mihi ante duos annos Magn: Dñus Felicianus Grochovvski, Notarius terreſtris Præmiſl: quod ille accepit à Magnificâ matre ſuâ; quæ etiam tunc viuebat, & præſens, cùm Miniſter Caluiniſticus in Eccleſia hanc ſuſcitationem ſimulatam tentaret, vnà cum plurima nobilitate, quæ ad tale ſpectaculum conuenerat, aderat: indeq; poſtea occaſionem conuerſionis ſuæ ab erroribus Caluini ad veram fidem Catholicam Romanam accepit.

QVÆSTIO XXXIII.

An ex ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarũ, licitum ſit ex propria electione, aut neceſſarium mortificare corpora ſua, diſciplinis, cilicijs, vigilijs, humicubationibus, genu flexionibus, & alijs aſperitatibus externis?

PROPOSITIO I.

NOn licet.

Ipſiſſima eſt hæc ſententia Lutheranorum & Caluiniſtarũ, & propterea mortificationes huiuſmodi, maximè hominum Religioſorum, ponunt iſti in Antichriſtiani Regni indicijs. Hinc illud, quod Chriſtus de temporibus Antichriſti loquens, præmonuit: *Tunc ſi quis dixerit vobis, ecce in deſerto eſt, nolite exire; in penetralibus eſt, nolite credere*; Matth: 26. non verentur ad Eremitarum Eccleſias, religioſorumq; pijſſima inſtituta reducere. Quod quidem etiam in ipſa ſuâ Biblia referre Archiminiſter Lutherus auſus eſt. Eodem enim loco in margine talem facit Annotationem: *Iſtæ*, inquit, *ſunt Sectæ, & ordines*, de religioſis noſtris loquens. Et mox: *Penetralia iſta pecularia cœnobia ſunt Eccleſiaſtica,*

cleſiaſtica, & Monaſteria in campis, & Peregrinationes. Has ipſas etiam mortificationes externas, maximè Religioſorum, ijdem carnificinas vocant, & per omnia ſuis propinant deridendas: & paſſim & picturis communibus, & popularibus ſuis Concionibus, illa Chriſti deflectentes, Matth: 7. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Eaſdem maximè quæ aſperitatem ciborum continent, & ad caſtitatem perpetuã in vita conducunt, non aliter interpretantur, quàm vt quiddam ex mero dæmoniorum inſtinctu profectum. Eò enim illa S. Pauli, *1. Tim: 4.* perpetuò referunt: *In nouiſſimo tempore diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritui erroris, & doctrinis dæmoniorum; prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit.* Vbi videnda eſt Lutheri in margine breuis, quàm annectit, admonitio. Idẽ quoq; in *c. 9. Matth*: hæc notat in margine in Germanicis Biblijs ſuis, in illa Chriſti: *Non poſſunt filij ſponſi lugere. Dupliciter,* inquit, *contingit aliquid pati; primum, ſi quid tale propria electione aſſumatur, quales Monachorum ſunt regulæ: ſicut & Baalis Sacerdotes ſeipſos pungebant*, 3. Reg: 18. *Huiuſmodi paſſiones magni æſtimat mundus, & æſtimabant Phariſæi, ipſiq; etiam Ioannis diſcipuli, at Chriſtus contemnit. Aliud, dum à Deo abſq; noſtrâ electione immittuntur, & hæc libenter ferre, vera crux eſt quæ Deo placet. Et propterea reijcit Chriſtus in his verbis hypocritarum paſſiones, quæ ſponte propria aſſumuntur.* Ex quibus hoc etiam habemus, Lutherum ipſas, & S. Ioannis aſperitates (nam & hæ ſpontaneâ deuotione, abſq; omni legis præcepto ab ipſo ſuſceptæ fuerant) inter Baalis Sacerdotum numerare exercitia. Denique propterea Miniſtri omnes Lutherani & Caluiniſtæ, negant omnes aſperitates S. Ioannis Baptiſtæ, & nihil eum in totâ vita ſuâ à communi hominum conſuetudine alienum, ſiue in habitatione, ſiue in victu, ſiue in veſtitu, ſiue vllâ alia in re aſſumpſiſſe, incredibili profecto audacia & temeritate, affirmant. Hinc deſertum Ioannis explicant, regionem montoſam, habitatam tamẽ à plurimis hominibus, piſcuoſam, pratis irriguam, ac paſcuoſam; non verò verè deſertã, ſeu vaſtam, ſicut Eremitæ, & cæteri ſuperſtitioſi homines ſibi poſterioribus temporibus elegerũt.

Digitized by Google

Ita Beza in *c 3. Matth.* Caluinus in Harm : in *3. Matth.* Vnde tropicè illud : *Vox clamantis in deſerto*; non ad literam accipiendum eſſe docet. Centuriatores etiam Lutheranorum, *lib: 1. c. 18.* Illyricus, & ſocij. Veſtem quoq; Ioannis nolunt eſſe crudam pellem Camelorum, ſed vſitatum genus veſtium, quali, qui ad loca montoſa habitant, induuntur. Ita ijdem, qui paulò antè. Dauid verò Chytræus in *caput 3. Matth:* vult illam eſſe vndulatam. Deniq; Mart : Buarus in Matth : ex panno, qui ex pilis Camelorum conficitur factam, non in morem noſtrorum Monachorum. Locuſtas etiam ſylueſtres Ioannis interpretantur, viliores cibos, qualibus vtuntur ij, qui in locis montoſis habitant. De quâ totâ re, vide Conc: Dom : 2. Adu. Friderici Barſcij ; vbi & refutationes ſolidas iſtorum, & probationes efficaces veræ ſententiæ inuenies.

PROPOSITIO II.

NOn eſt neceſſarium Chriſtianis, propria electione corpora ſua affligere exterioribus mortificationibus, in ſententia Lutheranorū & Caluiniſtarū.

Neceſſariò hoc ſequitur ex præced : propoſitione.

PROPOSITIO III.

ADmittere omninò debent Lutherani & Caluiniſtæ, licitum eſſe ac neceſſarium, aſſumere aliquando huiuſmodi paſſiones exteriores propria electione.

Primò quidem, quia admittunt cum Apoſtolo, ad *Gal: 5.* debere vnumquemq; Chriſtianum carnem ſuam crucifigere, hoc eſt affigere cruci, non materiali & ligneæ, ſed alteri, veræ tamen aſſumendo ſcilicet propriâ electione, & libenter ferendo paſſiones in corpore proprio. Hic enim apertus eſt ſenſus illorum verborum : Nam ſi ij qui Chriſti ſunt, immiſſas tantùm à

tùm à Deo paſſiones libenter ferrent, non dicerentur verè carnem ſuam crucifixiſſe, ſed crucifixam à Deo habere: ſicut etiam Chriſtus Dñus, licet crucis, cui à Iudæis affixus fuit, libenter paſſionem pertulerit, non tamen dicitur ſeipſum crucifixiſſe: neq; vnquam Scriptura hoc modo de illo loquitur, cùm tamen iuxta iſtos nouos S. Scripturæ interpretes, ita loqui debuerit.

Secundò. Quia omnes Miniſtri Euangelici exiſtimant, & coram vulgò iactant, ſe eſſe ſimillimos Ioanni Baptiſtæ in vocatione, in prædicandi officio, deniq; in moribus & vita, vt ouum ouo, lac lacti, aqua aquæ non poſſit eſſe ſimilior. Hinc primis ſuis anteſignanis etiam nomina ipſa Ioannis vnà cum officio toto, nihil veriti ſunt adſcribere; ita Lutherus illis, ſecundus Baptiſta, tertius Elias, verus præcurſor ſecundi, & magni aduentus Domini, Angelus Domini exercituum, &c. Atqui Ioannes plurimas aſperitates exteriores propria electione, dum viueret in terris, ad crucifigendam carnem ſuam vt rem licitam ac neceſſariam aſſumpſerat, quod luce clarius conſtat ex Euangelio. Ergo etiam Lutherani & Caluiniſtæ, hoc idem faciunt & exiſtimant; alias concedere debebunt ſe mentiri, cùm iactant ſimiles ſe eſſe in vitâ ac moribus Ioanni, quo nihil verius: ita enim re ipſa ſunt diſſimiles ei, vt atrum candido, frigidum calido, nox diei, ignis glaciei, omnia denique, quæ inter ſe ſunt pugnantia maximè, diſſimiliora eſſe nõ queant.

QVÆSTIO XXXIV.

An animæ iuſtorũ, qui poſt paſsionẽ Chriſti decedũt ſine vllo reatu pœnæ, ſtatim poſt mortem euolẽt ad cælũ, ex ſententia Lutheranâ & Caluinianâ, & cõſequãtur eſſentialẽ beatitudinem, ante corporum reſurrectionem vniuerſalem; hoc eſt, clarè Deum videant?

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

NOn euolant, ſed extra cælum in manu Dei poſitæ, dormiunt vſq; ad extremum diem iudicij; *hoc eſt*, non ſolùm Deum clarè non vident, ſed nihil omninò ſciunt de hac, vel altera vita.

Ita Lutherus multis locis. Caluinus *lib: 3. Inſt: c. 20. & 25 §. 6.* & catuli illorum, vt videre eſt apud Bellarm: *tom: 2. lib: de Beatit.* & apud Valent: *p. 2. ſup: 3. quæſt.* imò & apud Zuinglium & Bulingherum, 1. propoſitione ſequent: citandis. Tuentur autem hunc ſuum errorem Lutherani & Caluiniſtæ. Primò, authoritate Patrum antiquorum, Eccleſiæ Chriſti, tùm Latinorum; Tertul: *lib: 4. contra Marcion: c. 34.* Lactant: *lib: 7. diuin: inſtit: c. 21.* Auguſt: in Enchirid: *c. 103. 12.* de ciuit: Dei, *c. 9. in Pſal: 36.* & *lib: 4.* de gratia ad literam, *c. 24.* Ambroſij *lib: 2.* de Caim & Abel, *c. 2.* Bernar: *Serm: 3. & 4.* de Sanctis: tùm Græcorum, quod de his fatetur Concilium Papiſticum Florentinū. Secundò, authoritate S. Scripturæ, Ioan: 3. *Scimus, quoniam cùm apparuerit* (nimirum Chriſtus) *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Ad Col: 3. *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, & vos apparebitis cum eo in gloria.* 1. Pet: 5. *Cùm apparuerit princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.* Chriſtus autem appariturus eſt in ſecundo aduentu; nempe in die iudicij. Ergo ante diem iudicij non videbunt Deum.

PROPOSITIO II.

EVolant ad cælum animæ iuſtorum, ſtatim poſt mortem, & clarè Deum vident.

Ita Caluinus in ſua Pſychopannychiâ, vbi partem negantē exagitat tanquam errorem; & diſertè ſic ait: *Electi, qui ex hac vitâ tranſierunt, fruuntur Deo ad ſatietatem citra faſtidium.* In 3. etiā Inſt: vt videbimus *quæſt: 36.* docet animas Sanctorum orare, ac proinde

Digitized by Google

proinde non vult eas dormire. Colligitur hoc ipſum & ex Luthero, in Reſponſione ad Louan: & ex libris citandis, *quæſt:36.* Clarius Bulingerus *82. Serm: in Apoc.* vbi ſic ait: *Manifeſtè teſtatur hic locus, animas hominum non ſolùm immortales eſſe, ſed & viuas ac vigiles non dormientes ſupereſſe ac viuere cælo. Sunt enim quidam, qui fingunt animas à corpore ſeparatas dormire, id quod vaniſſimum eſt.* Et Serm: 87. *Pudeat dicere aliquos, animas nihil ſentire, &c.* Zuinglius etiam in expoſit: ſuæ fidei, ſic loquitur: *Credimus animas fidelium, protinus vt è corporibus euaſerint, ſubuolare cælo, Numini coniungi, æternoq; gaudere.* & in opere articulorum, art: 57. *Audio quoſdam eſſe, qui nos à morte, anima & corpore, ad extremum vſq; diem dormituros affirmant; tunc reſuſcitandos ac ingreſſuros eſſe in gaudium, & in gloriam Dei, aut in æternam miſeriam, cum quibus ego haud quaquam ſentio.* Sed docet etiam hanc propoſitionem præcurſor Lutheri & Caluini, ac primus ſecundum illos reformator Chriſti Eccleſiæ, Ioannes Hus in Pub: Oratione Pragæ, & tract: de Eccl. c. 8.

PROPOSITIO III.

VEriſſimè docetur, iuxta doctrinam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, animas iuſtas, quæ nunc poſt paſſionem Chriſti decedunt, ſi vel ſine vllo reatu fuerunt, cùm diſſoluebantur à corpore; vel ſi cum aliquo fuerunt, pœnam ſufficientem in purgatorio ante diem iudicij ſoluerunt: ſtatim euolare ad cœlum, & clarè videre Deum.

Primò. Quia ita docet S. Scriptura, Luc: 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo;* id eſt in gloria cæleſti, non verò in loco aliquo terreſtri amæno. Quod (miſſis authoritatibus SS. Patrum, Ambr: Bedæ, Theoph: ibi Cyril: Alex: *Catech:13.* & aliorum, qui ita exponunt) colligitur ex illa particula *mecum.* Neque enim vllum probabile fundamentum eſt, vt dicatur Chriſtus

fuiſſe ſtatim poſt mortem in aliquo amæno loco terreſtri. Itē *c.* 2. *ad Cor:* 5. vbi poſtquam dixit Apoſtolus: *Si terreſtris domus noſtra, huius habitationis diſſoluetur, ædificationem ex Deo habemus, non manu factam æternam in cœlis*; & peregrinari nos à Domino dum ſumus in corpore; *per fidem enim*, inquit, *ambulamus*, *& non per ſpeciem*. Subdit: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore*; id eſt diſſolui, & præſentes eſſe Deo. Nullam hic Apoſtolus ſtatuit intercapedinem, inter diſſolutionē corporis, & introitum in cœlum; in ijs qui ſine reatu diſcedūt, qualis fuit Apoſtolus, quod probant & ſeq: verba. Et ſi poſt hanc vitam animæ Sanctæ non viderent clarè Deum, vſq; ad diem iudicij, reuera non eſſent præſentes Deo, ſed etiam ab eo peregrinarētur; quia carerent clarâ cognitione Dei: hoc enim modo accipit Apoſtolus hîc peregrinari nos à Domino. Notandum etiam eſt per illud verbum, *Habemus*; intelligere Apoſtolum, Accipimus, vel poſſidemus: nam ſi non hoc, tūc æquè dicere poterat: *Quamuis noſtra terreſtris domus non diſſoluetur, habemus non manu factam, &c.* Ad Philip: etiam 1. *Coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius; permanere autem in carne, propter vos neceſſarium:* quem locū optimè vrget S. Ambr: aliâs fruſtra deſideraret Apoſtolus diſſolui, ſi non poterat eſſe cum Chriſto ante diem iudicij. Denique Luc: 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis*, id eſt moriemini, *recipiant vos in tabernacula æterna:* pauperes ſcilicet, qui ipſi iam ſunt in cœlo; nam in die iudicij extremi, omnes ſimul electi erunt in cœlo. His adde Reſp: ad loca S. Scripturæ allata ab Aduerſarijs in 1. propoſ. quæ tamen ipſi etiam ſoluere debent illis videlicet non probari illud. Nam illud, *Apparuerit*, apud S. Ioannem, non refertur ad Chriſtum; ſed ad id, quod poſt hanc vitam erimus; quod patet ex verbis præcedentibus. Dixerat enim: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* & ſtatim: *Scimus, quoniam cùm apparuerit*, (ſcilicet id quod, ſeu quid erimus) *ſimiles ei erimus.* Ad Col: verò 1. hoc tantùm velle Apoſtolum, cùm Chriſtus aduenerit in die iudicij, tunc Sancti in animâ & corpore beati, ſimul appare-

Digitized by Google

apparebunt, & à Chriſto in cœlum recipientur. Eodem modo exponendum teſtimonium ex S. Petro: Cùm enim Chriſtus apparebit in extremo iudicio, tunc dabitur Sanctis gloria, & corona conſummata; ſeu conſummatio & complementum gloriæ æternæ, & coronæ; quod eſt gloria corporis, & honor ille publicus, qui apud omnes in æternum manebit; & quia publicè admittentur ad regnum, & ad gloriam corporis, quam ante non habebant; & ad gloriam eſſentialem, quam poſt iudicium priuatum erant conſecuti.

Secundò probatur noſtra propoſ. Quia ita docent Sancti Patres, Latini & Græci, quorum Catalogum vide apud Cottonum in Inſtit: Catholicâ, *lib: 1. c. 14.* Aliqui quidem, vt Lactant: Tertul: imò & Origen: in contrariâ fuerunt ſententiâ; quia res hæc nondum erat definita ab Eccleſiâ, à quâ tamen ipſi nullo modo ſcienter diſſenſiſſent, & teſtimonia S. Scripturæ non deerant pro vnâ & altera parte. Aliqui verò hoc tantũ voluerunt, cùm dicerent animas ante extremum diem iudicij vniuerſalis, non eſſe beatas, ſcilicet beatitudine conſummatâ, & perfectâ; quod veriſſimum eſt: nam ad perfectionem extenſiuam beatitudinis, pertinet beatitudo ſeu gloria corporis. S. autem Auguſt: dicit, tantum *lib: cit:* ab Aduerſarijs in 1. propoſ: animas exutas corpore non videre Deum, ſicut Angeli vident. putat enim, ab aſpectu ad corpus retardari viſionem illorum; quod tamen ſub dubio relinquit, *lib: 1. retract: c. 14.* Concedit etiam apertè, animas ante reſurrectionem eſſe beatas, *9. Conf: c. 3.* vbi rogat Deum, vt Verecundo qui obtulerat ei beneuolè, vt in rure illius eſſet quamdiu vellet; retribuat in reſurrectione iuſtorum: *quia*, inquit, *ipſam ſortem retribuiſti illi.* Ibidem de Nebridio amico ſuo mortuo dicit: *Iam non ponit ille aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantũ poteſt ſapientiam pro auiditate ſuâ ſine fine fælix.* Quid D. Ambroſius ſentiat, vidimus in 1. argumento: docet enim ibi, animam latronis aſſecutam eſſe gloriam cœleſtem. Alibi verò loquitur tantum de tempore futuri iudicij; *quod etiam*, inquit, *Angelis ignotum eſt.* Deniq; S. Bernard: concedit *3. Serm:* omnibus animabus iu-

bus iu-

Digitized by Google

bus iuſtis, ante diem iudicij gloriam cæleſtem, ſed non ſecundam ſtolam, id eſt gloriam corporis.

Tertiò & vltimò probatur propoſitio. Meritum beatitudinis in morte conſummatur. Ergo, ſi nullum eſt impedimentum, ſtatim dabitur illa tanquam præmium. Sed nullum eſt: nam & Chriſtus eſt iam mortuus, & loquimur de illis animabus hominum, quæ vel ſine vllo reatu fuerunt, cùm diſſoluebantur à corpore, vel ſi cum aliquo fuerunt, pœnam ſufficienter in Purgatorio ante diem iudicij ſoluerunt; & denique ad viſionem claram Dei nón requiritur corpus, cùm illa non fiat mediante phantaſmate, vt per ſe clarum eſt, aliud verò impedimentum non poteſt adferri.

QVÆSTIO XXXV.

An ex ſententia Lutheranâ & Caluinianâ, illud tantũ fide Chriſtiana, ſeu piâ, credendũ eſt, quod reuelatum eſt in S. Scripturâ à Deo?

PROPOSITIO I.

TAntum.

Res clara eſt nimis, & hoc ipſi ſemper crepant; ac purum & putum verbi Dei, ſemper, vſq; ad raucedinem inclamant.

PROPOSITIO II.

NOn tantum.

Ita expreſſè Lutherus *tom: 4. Germ: Ienen: cit: in 3. argumento, 3. Propoſ: quæſt: 23.* & in *Catech; Maiori*, & in *4. parte de Baptiſmo*, ibidem citat. Idem etiam credit Chriſtiana ſeu pia fide; Beatiſſimam Virginem Mariam conceptam eſſe ſine peccato originali. Verba ipſius ſunt, Serm: de Concept: B. V. M. *Conceptio piè creditur, ſine originali peccato facta eſſe, vt ſcilicet in ipſius anima infu-*

mæ infuſione, vna etiam à peccato originali purificata fuerit. Atqui hoc non eſſe reuelatum in S. Scriptura, concedit ipſe. Igitur, &c. Beza quoq; in *Præf: ad Nouum Teſtamentum*, credit, Mariam permanſiſſe Virginem vſq; ad mortem, quod tamen non extat in S. Scriptura. Verba illius ſunt: *Perpetuam Mariæ Virginitatem ad mortem vſq;, etſi piè ac libenter credo, nihil hoc tamen ad ſalutis noſtræ myſterium pertinet.* Non miror, quia non eſt eſſentialis articulus fidei Chriſtianæ. Caluinus etiam honorat B. V. Verba illius in *lib: de Reform: Eccleſiæ*, ſunt: *Omni ſtudio Mariam honoramus*, (certè non ciuili honore) *Magiſtram omnium, cuius ſequimur tum doctrinam, tum præcepta.* Oecolampadius quoq; *Serm:* quod ſit laudandus Deus in Mariâ, credit illam eſſe Reginam mundi; vbi etiam multa dicit in laudem ipſius. Deniq; omnes Lutherani & Caluiniani, à primo ad vltimum, fide Chriſtiana credunt, eſſe verbum Dei ſcriptum; Nouum videlicet & vetus Teſtamentum, Bibliorum Codicem extare. Item talem eſſe & non alium ſenſum S. Scripturæ huius, v. g. loci, vel illius. Atqui hæc non ſunt reuelata in S. Scriptura, quam rem egregiè vrget ac proſequitur noſter Mart: Becanus, in circulo Caluiniſtico; & in titulis Euangelicorum, *tit: 1.* vbi etiam effugia ipſorum clarè oſtendit & diſſoluit.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſecundum fidem Lutheranam & Caluinianam, licitè poſsint Sancti inuocari, & coli?

PROPOSITIO I.

NOn poſſunt.

Patet hoc ex *quæſt: 8. & 16.* & propterea iſti aſſerunt nos Pontificios Idololatriam exercere, Chriſti gloriam obſcurare, & ci ipſi

ei ipſi iniuriam facere. Pulchra inuenies in hac materia contra hos Hæreticos, apud Cottonum, *lib: 1. Inſt: Cathol: c. 15.* & apud alios authores Catholicos.

PROPOSITIO II.

POſſunt licitè Sancti inuocari & coli, in ſententia Lutherana & Caluiniana.

Docet hoc Lutherus in Reſponſione ad Louan: *Non negaui,* inquit, *vnquam, nos meritis & precibus Sanctorum, quantumlibet imperfectis iuuari, quod ſubdolè mihi inurere conantur miſeri homines.* Et in Poſtil: Maiore, in die Natiuitatis Mariæ: *Interceſſionem Mariæ amplectimur, & reliquorum Sanctorum.* Deniq; in ep: ad Erphord: tom: 7. epiſt: *Quanquam ſuperuacaneum ſit Sanctos colere, non tamen eos putarim reſpuendos, aut contemnendos eſſe, qui Sanctos adhuc colunt.* Caluinus etiam *lib: 3. Inſt: c. 20.* ait, membra ſub vno capite ſe mutuo iuuare debere: & ſi quæ Sanctis Oratio tribuitur, ea Chriſto Domino, qui vita eſt, nititur. Loquitur autem expreſſè de Sanctis, qui carne mortui, in Chriſto viuunt. Non fit ergo iniuria Chriſto, cùm Sancti orant pro nobis. Denique Ioannes Hus, prodromus Lutheri & Caluini, & quem iſti ſuum fuiſſe gloriantur, imò & Martyrem Chriſti, *ep: 22.* ait, multum ſe confidere precibus SS. Petri & Pauli. & ep: 36. *Spero me Sanctorum meritis diuinitus ereptum iri ex eorum crudelitate.*

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Vidiſti, Lector beneuole, in omnibus his quæſtionibus, quàm leuis & inconſtans ſit Lutheri, Caluini, & Sequacium, de rebus fidei, quas ſibi ſomniãt, doctrina. Vidiſti tàm immortalibus iſtos inter ſe diſsidere odijs, tàm pugnantibus inter ſe doctrinis ac ſententijs digladiari, & in quot ſe formas Thraces conuertant: Protheos & Chamaleontes meritò dixeris, nec tàm varias in Euripo videri agitationes fluctuũ, quàm variæ in iſtorum animis reperiantur rerũ fidei mutationes; dum nunc mendacijs diffluentes, eodem gladio quem aduerſus alios vibrarunt, ipſi ſeipſos iugulant. Solùm vt in luce hac, & medio orbis vniuerſi theatro, diſertè enunciare queant, ſe ex ordine ac numero talium eſſe, qui repudiatâ Chriſti Eccleſiæ vnitate, in quadam Chimerica fide ſeſe collocârunt; illaq; freti vſq;, deq;, prout ſpirant Fauonij, voluntas dictat, omnia ſacra prophanis miſcere poſſint. Rectè Tertul: de præſcr: c. 42. Inſpectæ Hæreſes omnes, in multis cum authoribus ſuis diſſentientes, deprehenduntur; à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio eá compoſuit ille, qui tradidit. *Et Iren: lib: 1. c. 5. & 21.* Cùm ſint duo vel tres, propter inconſtantiam de eiſdem, non eadem dicere, ſed & nominibus & rebus contraria reſpondere, &c. *Sed huius vitij peſtis innata eſt talibus. O nebulas turbinibus exagitatas?* 2. Petr: c. 2. *O inconſtantiam, qua vt quidam aiunt, nihil turpius? Sed hoc lucrantur, vt fidem, quam conuiciorum ariete concutiebant, ſuis diſcordijs inteſtinis conſolident,*

dent, vt benè annotauit Hilarius 7. de Trin: & iſta inconſtantia oſtendunt, omnia incerta & vana eſſe apud ſe, & bellum illorum pax eſt Eccleſiæ. Quomodo enim, vt Iuſtinus vrget ſalutis cupidi, poſſent tutò religione verâ illis credere, inter quos parum conuenit, diſſidentes in ſuis opinionibus. Vtinam aliquãdo miſeri iſtas tenebras Cimmerias ab intellectu ſuo excutiant, & ex hoc errorum veterno, in quo non ſine graui periculo deliteſcunt, oculos animi ad fidei ſolem, datum illud optimum, quod deſcendit à Patre luminum, quantocyus explicent, ac, quod illis ex animo deſidero, reuocent ſe, dum tempus eſt ad ſepta Eccleſiæ, è quibus ſuperbiâ ſuggerente à veritatis ſemita exerrantes, in errorum auia delati fuerant: ſic fiet, vt vel me filum porrigente, ex iſtis labyrinthæis flexibus extricati, illis ſit nobiſcum

Vnus amor, mens vna, gregis caula vna, Magiſter
Vnus, vt eſt vnus Sol, Deus, vna Fides,

in Eccleſia nempe Orthodoxa.

Ad maiorem Dei Opt: Max: gloriam & honorem, & Eccleſiæ ipſius laudem & decorem.

Digitized by Google

9-3-2

Digitized by Google

IHS